

B. X. 0

Herbststein

79.

Joseph Graf von Herbststein

Bei Gaby Meude

Verbidan
bei ...

GRATIAE POSTERI-
TATI SICISMUNDVS LIBER BARO IN HER-
 berstain Neypurg & Guettenhag, Primarius Ducatus Carinthiae Hæ-
 reditariusq; & Camerarius & Dapifer &c. Immunitate meritorum ergo
 donatus actiones suas à puero ad annum vsq; ætatis suæ septua-
 gesimum quartum, breui commentariolo
 notatas reliquit.



VIENNÆ AVSTRIÆ EXCV-
 debat Raphael Hofhalter
 ANNO
 M. D. LX.



HER
B

№ 24.241 D
21.12.57

VIENNE AVSTRIE EXCV
K. u. k. Hof- und Allh. Bibliothek
M. D. L. X.

GRATAE POSTERI

TATI SIGISMUNDVS LIBER BARO INHER-
berstain Neyperg & Guettenhag, Primarius Ducatus Carinthiae Hæ-
reditariusq; & Camerarius & Dapifer &c. Immunitate meritorum ergo
donatus, actiones suas à puero ad annum vsq; ætatis suæ septua-
gesimum quartum, breui commentariolo
notatas reliquit.

Est hoc cōmune non modo populorum omnium, verum etiam famili-
arum plerarumq;, vt sibi de origine & vetustate generis maiorumq;
suorum gratulentur, gloriæ & laudj id sibi fore putantes. Quocirca mihi
quoq; cupido ista incessit, vt progenitorum atauorumq; meorum nomi-
na & generationis seriem inquirerem, eamq; descriptam publicarem, Sed
iusto serius id mihi in mentem venit, qui rectius rem omnē viuo adhuc
patre meo Leonhardo Herberstainio, perdiscere potuissem. Quantum
tamē eius rei ex quarundā literarū monumentis collegi, in scriptum hoc
mihi referre visum est, non eo consilio, quod vel ipse de maiorum
meorum virtute tantum & virtutis præmijs nobilitatisq; insignibus partis
gloriarī atq; eis contentus esse velim vel agnati gentilesq; mei causam
& occasionem habeant, vt ex vetusta familiæ & nobilitatis origine super-
bos concipiant animos, eamque solam iactantes existiment nihil sese am-
plius ad laudem & gloriam requirere debere, vt generis antiquitas & no-
bilitas ipsa egregijs quoq; ipsorum virtutis factis confirmetur, sed vt poti-
us domestica veræ generositatis exempla ob oculos proposita habentes,
omnes actiones nostras ad maiorū imitationem componamus, & vnum
quemq; illorum tacite auribus cuiuslibet nostrum illud Virgilianum in-
fusurrare putemus.

Disce puer virtutem ex me verum q; laborem,
Neq; frustra etiam illa eiusdem Poetæ verba de nobis pro se quisque
ferri audiamus.

Ec quid in antiquam virtutem animosq; viriles

Et pater Æneas, & auuncullus excitat Hector.

Itaq; omnes qui nomine meo censentur gentiles atq; agnatos admoni-
tos rogatosq; esse volo Genealogiā istam nostram lecturos, vt in eam co-
gitationem mecum incumbant, maiores nostros non per ocium & desi-
diam aut malas artes præclarum nomen nobilitatis prærogatiuam & vir-
tutis monumenta consequutos esse. Et cum generosæ stirpis atq; arboris
furculi sint & fructus ad spem bonam editi, vt à stipite suo pululante rami
sobolescentes non degenerent. Proinde grandiorum natu fuerit adole-

centulos à teneris statim cum cura & fide iustituere, & præcepta virtutis atq; pietatis illis instillare, ac deinceps vel eruditis in omni genere liberalioris doctrinæ excolendos præceptoribus tradere, vel inspectatâ seu politicarum seu militarium artium disciplinam exercendos mittere. Qua in re parentes liberorum suorum honestam debent habere rationem sumptibus legitimis minimè parcentes, vt modo filij eorum commodo aut in academijs aut in Principum cohortibus sint loco, sybi extralinguorem & ignauiam omnem, à prauorum sibj hominum consuetudine assiduè cauentes in labore & virtutis exercitio iuuenilem exigant ætatem Non enim satis est hominj vt præclaro loco generosè sit prognatus, nisi natalium splendorem virtutis studijs amplificet atq; cohonestet. Et ad veram gloriam plerumq; bona institutio plus affert momentj quam natiuitas spectabilis & EYIENEIA quod ex Platonis philosophia sumptum, Horatius hisce expressit versibus.

Fortes creantur fortibus & bonis

Est in iuuenis est in equis patrum

Virtus, nec imbellem feroces

Progenerant aquile columbam

Doctrina sed vim promouet insitam

Rectiq; cultus pectora roborant.

Vt cumq; defecere mores

Dedecorant bene nata culpa.

TVm autem satis constat iam inde ab ipso primo omnium hominum parente Adamo neque illustri quemquam, neq; obscuro esse loco genitum, Sed æquali sorte omnes à genarcha editos. Qui vero ætatibus omnibus industria beneficentia & virtute alios mortales superarunt, præcæteris semper honesti habiti atq; nobilitatisunt, pro eo atq; Noribergæ inconspicuo eius vrbs loco elogium tale lingua vernacula scriptum esse audio.

Quo nobilitatum quispiam loco fuit,

Cum foderet Adam & Eua fila duceret

Wo was da der Edlman.

da Adam hauet vnd Eua span.

Cui sententiæ eadem lingua Symbolum suum subscribj iussisse fertur Fridericus Imperator Romanorum tercius.

Alius ego quam quilibet non sum homo nisi

Quod me amplior e honore dignatur Deus

Ich bin nicht mer dan ein ander Man

Allain das mir Gott der Ehre gan.

Et præclarè ab alio Poeta est dictum

Stemmata quid faciunt quid prodest Pontice longo Sanguine censerj? ec

Nobilitas sola est atq; vnica virtus.

Res tota eugenixæ cum sic habeat dubium non est, quin pro genitoribus maioribus nostris suum etiam fuerit gentis ordinis nobilitatisque primordium. Cuiusmodi autem id fuerit, & quomodo illi antiquitus vitam tolerarint euidentis documentum capere licet, ex hæreditarijs nostris insignibus in quibus illi habuere & nos hodie quoque habemus vehiam candidam super qua aratrum suspensum ex prædio urbano in agrum & ex agro in idem prædium duci solet, unde liquet maiores nostros agriculas fuisse, atque opinionem coniecturamque hanc meam amplius etiam illud confirmat, Quod dominus Guntherus Herbersteinus materni aui sui Domini Guntherj ab Haag in quo nomen id & genus deficit infigne, equestre videlicet iugum crocei coloris in rubra area depictum anno à nato domino & Salvatore nostro 1409 iure feudali à principe accepit. Sententia ista mea non est, quod cuiquam agnatorum meorum grauis & molesta accidat, Quod si namque vel parens meus vel ego ipse agriculturam exercuissem, minime id celarem quin laudi quoque mihi eam rem ducerem, quippe qui familiæ posteritatiq; mee virtute atque virtutis præmijs præluere, quam à maiorum claritate & nobilitate degenerare malim.

Nam iuxta sententiam Diui Gregorij theologi
 Probrum est malum vocare non ignobilem
 Genus est eorum qui diu sunt mortui
 Generi præire, non nocere conuenit,
Melius bonum esse quam creari et bonis

Aeratibus omnibus à viris sapientibus iudicatum est artibus alijs omnibus quarum est aliquis in vita hominum vsus agriculturam cuius præcipuum instrumentum aratrum cum partibus suis est, præstabiliorem esse tum propter oblectamenta rerum rusticarum, tum propter utilitatem, quam generi humano affert plurimam. Ciceronis verba sunt Omniū rerum ex quibus aliquid exquiritur nihil est agricultura melius, nihil vberius, nihil dulcius nihil homine libero dignius.

Beatus ille qui procul negocijs
 Vt prisca gens mortalium
 Paterna rura bobus exercet suis
 Solutus omni fœnore etc.

Cecinit sapiens poeta Horatius Et Virgilius ipse de agricultra luculentissimè scribens tandem exclamat. O fortunatos nimium sua si bona norint. Agricolas etc.

Quapropter apud veteres Romanos illa in magnum fuit honorem, qui cum virum bonum laudare & titulo suo ornare vellent

vellent, agricolam bonum eum esse dixerunt. Neq; aliam etiam iuuentutem ad militiam commodiorem illi esse censuerunt, quam quæ ruri agris colendis ad duos belli labores perferendos esset exercitata. In hoc vitæ genere M: Curius cum de Samnitibus & Sabinis & de Pyrrho Epirotarum rege triumphasset, summum ætatis tempus consumpsit. Et in agris tum erant Senatores, id est senes. Siquidem. L. Quintio Cincinnato in agro aranti nunciatum est, eum dictatorem esse factum, qui omnium summus Romæ magistratus fuit. Mea quidem sententia, ait Cato maior apud Ciceronem, haud scio an vlla beatior esse possit vita, neq; solum officio, quod hominum generi vniuerso cultura agrorum est salutaris, sed & delectatione &c: Legimus Dauidem maximum & Regem & prophetam à paternarum ouium pascione (quæ non postrema rusticationis pars est) ad Samuelem prophetam euocatum venisse, vt in medio fratrum eius ab illo rex vngeretur super Israel. Eumq; à regia istiusmodi in auguratione ad easdem oues pascendas rediisse, nec longe post, cum debellandus esset vir ille spurius & incircumcisus, giganteæ magnitudinis homo de castris Philistinorum nomine Goliath ipsum Dauidem scimus à gregis paterni pastu rursus non sine numine & prouidentia Dei in castra Israelitica venisse & ab eo Philisteum istum prostratum esse in funda & lapide in nomine domini. Primum quoq; Boemiæ gentis Ducem Premislaum ferunt, vbi Princeps ab eo populo communibus suffragijs lectus esset, ab aratro in quo tanquam mensa eibum suum capiebat vocatum & in ducalem sedem ductum esse. Qui ad tam inexpectatam fortis suæ mutacionem valde quidem obstupuit, in tanta tamen fortuna sparteos calceos suos (qui lingua Slauinorum Kurpie dicuntur) reijcere noluit, causamq; eius rei rogatus illam attulit, Velle se calceos huiusmodi in vischegrado, hoc est sublimiore arce, que ad Pragam sita diu etiam regum Boiemorum regia fuit, perpetuum esse monumentum ad posteritatem omnem, primum Boemiæ Ducem ab aratro ex agro ad imperium Ducale esse euectum

CVm igitur intelligamus tantos & tam præclaros viros ante & post insignes res gestas agriculturæ operam nauasse, & à prudentibus hominibus nunquam non metuenda sit fortunæ conuersio & mutabilitas his præcipue extremis periculosisque tempestatibus, considerare merito inanimis nostris nobiscum debemus, siquid præter spem diuina permissione nobis eueniat, ita vt res nostræ ad aratrum redeant, quo modo fortunam præsentem excelso & constantij pectore feramus.

Nesci-

Nescimus enim quid serus vesper ferat. Quapropter hoc tempore cum nobis res sunt secundæ, ita moderatè nos erga cuiusuis præsertim vero inferioris ordinis homines gerere debemus, ut illi si quid huiusmodi, ut dixi & res humanæ ferunt accidat, causam nobis obtrectandi arrogantiamq; superbam ridendi non habeant. Id quod asequemur si ad eam moderati-
onem animi tanquam ad amulsim quandam vitam & mores composuerimus, ut neq; à superioribus despiciamur, neq; ab inferioribus metua-
mur. Atq; hac in parte Agathoclem regem Siciliae imitabimur, qui cum figuli esset filius, ad regium tamen peruenit fastigium, & fortuna tali nõ elatus humaniter gessit imperium. Nunquam nobis excidere ex animis nostris verba ista debent, versiculis hisce ab Ausonio Gallico Poeta de rege isto expressa.

Fortunam reuerenter habe, quicumq; repente
Diues ab exili progrediere loco.

Labor & exercitatio corpora firmiora atq; robustiora efficit, & animos quoq; viriles reddit, at ocium & ignauia incitamentum & fomes est prauitatis & viciorum omnium. Minimè verò dubitandum est quin maiores nostrij egregij mortales labore, industria, præclaris virtutis actionibus, ab agricultura & rusticatione ad generis prærogatiuam & nobilitatem ipsam sint euecti, quorum vestigijs insistentes exempla illorum nos sedulo imitari decet, ut non eorum tantū gloria sed propria etiam virtute nostra clarissimus & nobiles. Sic scilicet futurum est, ut cum bonarum arborum firmus propagines, bonos etiam & progenitoribus nostris dignos fructus feramus per veritatis studium animorumq; fortitudinem & constanciam rebus militiæ strenuè domi iuste & æquabiliter gerendis, fidem & omne officium in seruitijs & administrationibus nobis commissis. Principibus nostris quouis loco & tempore probantes minimeq; omnium committentes, ut per annimos degeneres malis artibus aut desidia vecordj virtutem obfuscemus & contaminemus.

Persuasissimum ergo prosapiæ nostræ Herbersteine esse debet maiores suos pro eo atq; euidentissime patet, muneribus suis & prouincijs sibi datis apud Romanos Imperatores & Reges Archiducesq; Austriacos gnauiter & fideliter obeūdis nulla pericula et nullos labores refugisse. Idque cū de cæteris omnibus, tum de patre fratribusq; meis est testatissimū, qui exemplo suo mihi præierunt. Et quam me illi ad virtutis suæ æmulationem paternè atque fraternè sunt cohortati, tam libenter atque obsequenter fidelibus eorum monitis atq; præceptis ipse morem gessi. Hoc ipsum

ipsum quidquid est agnati gentiles consanguineiq; mei non ex verbis meis solum deprehendent, verum ex rebus quoq; ipsis certò comperient, & potissimum id animaduertent & colligent ex illustribus literarum monumentis, quæ profapiae nostræ tum propter maiorum nostrorum egregia facta, tum propter mea quoq; promerita ab optimis maximisq; Principibus nostris datæ sunt & concessæ. Testabitur id auctorum nostrorum stemmatum & insignium accessio luculenta & prolixum augmentum. Testabitur familiæ nostræ ex equestri loco in liberorum Baronum quasi Senatorum & patriciorum ordinem honorifica transitio. Testabitur hæreditarium cubicularij siue Camerarij simul & Dapiferi in Ducatu Carinthiæ in domum nostram introductum ius & prerogatiua amplissima. Testabuntur deniq; quæ à me iuxta concessam mihi diuinitus gratiã, sub imperio trium Sacratissimorum Romanorum Cæsarum Maximiliani Caroli Quinti pijsimæ laudatissimeque memoriæ & nunc auspicatissime Imperantis Ferdinandi, in multis militaribus & politicis muneribus atque frequentibus & longinquis legationibus res gestæ sunt non infeliciter.

QVO circa iam illud restat, vt agnati mei iuniores Herberstenij qui nunc extant & qui nascentur ab illis Deo duce, & industria eorum comite, imitari res meas studeant, atq; etiam superare contendant. Quod cum mihi vnice in votis est, dum id illos facturos esse, valde spero.

EX auis ac parentibus, qui Romanis Imperatoribus regibus, & Archiducibus Austriæ officia sua prestare soliti fuerant progenitus. Vipaci non longe à Timauo, Punico & Vergesto, Leonardo patre & Barbara matre ex familia (de foramine dicta) ortus sum, similiq; Instituto vitæ ab incunabulis destinatus. Anno à Salvatore Christo Iesu nato, M. CCCC. LXXXVI. die vero xxiii. Augusti, Friderico III. Romanum Imperium gubernante.

ADolescentulus Adriaticum nauigans Mare ex Istris & oppido Lourana Anconam adij, inde terra Loretum Religionis gratia progressus, postea literarum ac disciplinæ causa Viennam Austriæ missus, Laureaq; studiorum Liberalium ibi ornatus sum, M. D. II.

Svb diuo Maximiliano Cæsare ius suum armis in Hungaria persequente, primum militiae tirocinium obij, Cum nato sub id tempus Ludouico

rege 2. h. h.

rege pax est inter Maximilianum & Vladislaum Hungariæ & Bohemiæ regem fancita, M. D. VI.

M. D. VIII. Cum Veneti Cæsari Maximiliano quæcunq; obtinebat in Iulij foro, in Carnis & Istris ademissent, indutijs belli inrerpositis à patre Venetias mittor ad paternam arcem quæ vulgo Lupoglau germanice vero Marnfels appellatur, recuperandam. Quo tempore vrbatum ibi nauale conflagrauit.

DEinde Maximiliano Cæsare & Ludouico XII. Gallix rege facere coniunctis, cum Veneti ad Carauagium cæsi, desperatis prope rebus Cæsari adempta redderent cum præsidijs prouincialium in forum Iulij missus & Raspo castello in Carnis capto, in cohortem prætorianam Cæsaris allectus sum: III. Octobris M. D. VIII.

Michaellem Marckesium è Grauisis predas agentem agressus, ingentem ei vim pecoris eripui XXVI. Octobris eiusdem,

Veneti Raspo recuperato me in arce Marnfels obsederunt VI. Nouembris.

EA deinde hyeme in Pisinum præsidio sum missus.

M. D. X. Venetos ad Pisinum obsidendum contendentes anteuerti, meaq; præsentia & autoritate populum ibi in fide Cæsaris retinui mense Februario. Æstate proxima in Iulij forum sum remissus.

M. D. XI. Genitori charissimo iusta feci.



M. D. XIII. Ioanne Victorio Venetorum præfecto ad Maranum quod circumfederat, caeso, id quod XII. Iulij factum, ubi tum Stiriensium Equitum præfecturam gessit. Maximilianus in donis militaribus & aurea torques XXVI. Septemb. cohonestavit, ac deinde XIII. Decemb. in consilium aulæ suæ cooptavit.

M. D. XV. Conuentum Viennæ Austriæ cum Maximiliano Imperatore agentibus Vladislao patre & Ludouico filio Hungariæ & Bohemiæ & Sigismundo Poloniæ regibus, & matrimonia liberorum inter se contrahentibus mutuamque benevolentiam stabilientibus, mandato Maximiliani legatus ad Leonardum Salisburgensem Archiepiscopum, mox etiam Episcopum Eistatensem XXI. Nouemb. adij.

CVM Duces Bavarix fratres dissiderent Cæsare iubente ad Ludouicum Ducem & conuentum Bavarorum in oppidum Landeshutum VIII. Decemb. veni.



M. D. XVI. Christernum Daniæ regem cui Elisabeth Cæsaris ex filio neptis nupta erat. Cæsaris orator, magna germaniæ parte lustrata; adij, & violati coniugalis foederis admonui, atq; ad resipiscendum cohortatus sum.

Eodem itinere Cæsaris nomine electores tres Albertum Moguntinum : Fridericum Saxonæ ducem. Ioachimum Marchionem Brandenburgensem. Duosq; fratres Henricum & Albertum Megalopolitanos principes conueni, egressus Augusta Vindelicorum vltima Ianuarij. Hoc ipso anno ad Heluetios gentem nobilitati infestam ter Cæsaris legatus profectus sum.

Insuper ad Sigismundum Poloniae regem legatione suscepta Haganoa
 Elfaciae vrbe XX. Decemb. Reno & Danubio amnibus traiectis Augu-
 stam Vindelicorum contendi.



M. D. XVI. Chiffrenum Danicorum qui Eriben Gales an
 filio nepis nuda erat. Gales omor, magna gratias pueri iustas,
 adij, & violati conjugalis fedoris admonuit, ad religendum conor-
 tatus sunt.

Eodem ianere Gales nomine ephores nec Albertum Mouti-
 tum: Friburgenus Baronis ducem. Iochimium Eribenum Han-
 denburgensem. Dux, Janes Heintum: Albertum Megalopolis-
 nos principes conuati, exilus Augusta Vindelicorum vltima Janasij.
 Hoc ipso anno ad Helucios gentem nobilitati ineliam ter Gales le-
 gatus profectus sunt.

A MAXIMILIANO CAESARE AD SIGISMVN-
DVM POLONIAE REGEM ET BASILIVM MA-
GNVM MOSCOVIAE PRINCIPEM SIC
VESTITVS DESTINATVS SVM.



1559

M. D. XVII. Gregorio Sagreuski magni Moschorum principis nuntio : Chrysofomo Columno Isabellæ Mediolani & Barij ducis Secretario comitibus adiunctis Augusta profectus per Bauariam, Austriam, Morauiam, Silesiam atq; Poloniam. Superatis Istula & Cronone amnibus vilnam Lithuanix metropolim veni, & cum Sigismundo rege de matrimonio Bonæ ducis Mediolani filix, Maximiliani Cæsaris nomine egi, confectoq; ex sententia negotio, superato Rubone flumine Traha vsq; Nouogardiam magnam quam Volchow priscis scriptoribus



incognitus fluuius interfluit. Ex ea Veredarijs equis Moscouiam ad Basiliam magnum Russorum Ducem, qui primus se Regem appellari voluit, decurrens, Rha magno amne traiccto & navigato peruenit: Vbi diu

Vbi diu multumq; de inducijs inrer Polonum & Moschum egi, & tandem Smolenscum Lituanis pridem à Moscho interceptum diuerti, inde Vilnam redij. Atq; in hoc itinere fontes Rubonis Crononis, Rha, & Boristhenis, circuiens, & XXXVI. miliaribus germanicis supra fontes Tania progressus, non ex vllis montibus sed ex lacu in planiciæ fontibus profluere expertus nostris id oppido admirantibus retuli.

Boristhenem quoq; in reditu nauigauit.

Pæterea Volochdam, Suchanem, Iug & Duinam, fluuios magnos à nullo autore commemoratos in Mare glaciale decurrere ostendi.

In eo reditu non longe à Vilna in arce Trocensi Scheachmet Tartarorum Sauolhensium regem in conuiuio illi assidens alloquutus sum.

M. D. XVIII. E Moschouia & Polonia reuersus ad Ænipontem Casarem inueni, XXII. Marcij.

EIVSMODI VESTE ET VARIIS NOBILIBVS PELLIBVS
REMYNERATVS, ETEA INDVTVS VT CONSVETVM
EST PRINCIPI GRACIAS EGI DIMISSVS SVM.



Mox inde XX. Aprilis ab eodem orator ad Ludouicum regem in Hungariam missus, ne quem regni eius gubernatorem (Ioannes enim Zapolitanus regni affectator et magna contentione urgebat) admitteret ei persuasi.



Ibidem summj Rom. Pontificis nuncius Nicolaus Schonbergus Dominicanæ sodalitaris frater, prima legationis suæ oratione, Cæsaris postulata commendauit beneuolentiam nostram captans, priuatim autem apud Episcopos & proceres res suas sibi agens.

Prouinciales Stiria in consilio aulae Cæsareæ me locum suum obtinere voluerunt, Cæsare ipso assentiente.

XVI. Nouemb. Salisburgum ad Archiepiscopum & Canonicorum collegium ibi in concordiam reducendos missus sum.

C M. D.

M. D. XIX. Dignus Maximilianus Imperator pius foelix victor, fatis concessit XII. Ianuarij. Cuius funus in templum deferens XVI. eiusdem Ianuarij humeros meos onerabat, meror vero cor meum admodum premebat.

Eodem anno à Stirijs vna cum alijs inferiorum prouinciarum Austriacis legatis ad Carolum Hispaniarum regem, qui auo etiam in Imperij Rom: gubernaculis successit, missus sum, quo munere obeundo patriæ obsequutus. Venetijs ducem Lauredanum salutaui. Romæ Pontificis Leonis pedes deosculatus, principem ei & patriam commendaui. Neapoli Reimundum Cardonam, & in Sardinia Angelum villa nouanum proreges conueni. Inde per Baleares & Ebusum Insulas satis in tempesto Mari celoq;, bimestri tempore nauigans in Hispaniam Barchimonam appuli, & non longe ab ea Molini regij legatione prospere confecta, per Galliam & insubres reuersus, Cæsari Carolo & patriæ per grata peregi.
Laus & gloria Deo.



Carolus

Carolus diuina fauente clementia Electus Romanorum Rex : F :
Imperator semper Augustus ac Hispaniarum vtriusq; Siciliae & Hierusalem &c. Rex. Archidux Austriae &c. Serenissimo ac potentissimo Principi Domino Francisco Regi Franciae &c. Fratri nostro charissimo, salutem & fraterni amoris continuum incrementum ac vniuersis & singulis Principibus Ecclesiasticis & Secularibus, Archiepiscopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Urbium & artium, Praefectis, Gubernatoribus & Vicedominis, Iudicibus, Rectoribus, Burgimagistris, Consulibus, Ciuibus & alijs quibuscunq; Officialibus & nobis ac Sacro Imperio mediate vel immediate ac quacunq; ratione Subditis & fidelibus dilectis cuiuscunq; status gradus & dignitatis existant ad quos praesentes peruenerint, gratiam nostram Caesarem & omne bonum. Cum in praesentiarum in Germaniam reuertantur fideles nobis dilecti Sigismundus de Herberstein Eques aureae militiae, & Ioannes Hofman Oratores Ducatus nostri Stiriae, & illis cupiamus iter tutum & securum ubiq; patere. Rogamus Serenitatem vestram, & vos suprascriptos hortamur omnes, subditis vero districtae percipiendo, Mandamus, quantus sub pena indignationis nostrae & alijs arbitrio nostro imponen: praedictos Oratores die noctuq; tute liberè & securè per omnia & quecunq; loca terrestria & aquatica cum Equis, Mulis, onerarijs & pecunijs & alijs rebus suis omnibus absq; alicuius oneris Realis vel personalis, ire, redire, stare, & morari permittatis, & ab alijs permitti faciatis facturi in eo nobis rem gratam, Subditi vero nostri in eo expressam voluntatem nostram executuri. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum & Sigilli nostri à tergo munimine roboratarum. Datum Molendino Regio die XVII. Mensis Decembris Anno Domini Millesimo Quingentesimo decimonono. Regnorum nostrorum Romani ac Electionis Imperij primo, aliorum vero omnium quarto.

Ad mandatum Caesarem & Catholicam Maiestatis proprium.

M. D. XX. A praefectis Germaniae quos Carolus designatus Romae Imperator Reip: gubernandae praefecerat, ipse in Hispania adhuc agens bis ad regem Ludouicum in Hungariam suo nomine missus.

In conuentu Austriaco cum Sigismundo Comite de Haag & Guilhelmo Schrot Equite XXIX. Septemb: Caesarem Commissarium egi. Et paulo post in Hungariam mandato redij.

M. D. XXI. Carolus regali diademate Aquisgravi accepto, Vormatiæ Comitia Germanorum Principum & ordinum celebrauit, & ad diem XXIII. Februar: me eò vocauit, & in decuriam consiliariorum Camere quam vocant Imperialis adsciuit. Mox etiam XXIX. Martij me consiliarium prouincialem Stiriaë renunciauit.



Ferdinandus Hispaniarum Princeps, idemq; Archidux Austriaë, Caroli Imperatoris frater, XXVI. Maij cum Anna Vladislai Hungariaë & Bohemiaë regis filia puella lectissima, Lincij nuptias celebrauit quibus interfui, & subinde in Austriaë prouinciarum possessionem est inductus.

Stirij ergo homagium Sacramentum ei præstiterunt, quibus ego Principe absente acta, publice exposui. Peractis comitijs Antonius de Croi de Simpi Dominus, primarius Cubicularius, & Gabriel Salamanca primicerius Archiducis Ferdinandi qui deinde Principis beneficio Comes Orreburgi est factus, mandato Principis mecum egerunt, vt ad Carolum Cæsarem in Flandriam euntem ad officia muneraq; Ferdinandi nomine

mine obeunda proficisceret. Qua in re XVIII. Octob: morem Principi g' si.

M. D. XXII. Bruxellis, Norimbergam ad conuentum Imperialem missus, Archiducis locum in solenni confesso tenui.

DEinde ex oppido Studgardienfi, Auroch ad coniugem Vdalrici Wirtenbergenfis Ducis sum missus.

E Neapoli Austriae, bis Pragam regiam Bohemiae sedem Ferdinandi iussu, ad Ludouicum regem Pannonio cisio vectus sum, expositis ibi mandatis, mox equis dispositis Lincium ad Ferdinandum veni. Actum est de Principum istorum conuectu.

Lincio IX. Septemb: Norlingam, vbi Sueuorum foederatorum conuentus agebatur, sum profectus.

M. D. XXIII. Ludouicum Pannonium & Bohemorum regem Posonio, Sempronium deduxi. Ibi ad eum Ferdinandus Archidux cum sua coniuge & regis sorore venit, & in Neapolim Austriae duxit. Eo loco antiqua foedera & necessitudines nouae inter Principes eos confirmate. Interfuit actionibus omnibus cum Episcopis & proceribus Hungaris, etiam Ioannes Zapolitanus.

EO anno in administrationem Austriae regiminis sum receptus. Et uxorem duxi.

M. D. XXIII. Semel atq; iterum Ludouicum regem Hungarorum, Principum & ordinum conuentum Budae agentem orator Archiducis adij.

Magnis quoq; itineribus Vienna XXIII. Octob: profectus non sine periculo ad Principem Electorem Moguntinum Cardinalem Hallas Saxonum contendi.

A CAROLO ELECTO RO: REGE FVTVRO IMPE-
RATORE EX HISPANIIS VELVTVM A BASILIO
MAGNO DVCE EX MOSCOVIA PELLERIPOR-
TAVI HAC VESTE MVLTAS OBIVI LEGAT,ONES.



M. D. XXV. & M. D. XXVI. Propter infidiosæ Gallicæ astu-
tiæ consilia ad regem Ludouicum bis, & in Fucarorum Augustanorum
causa tertio Budæ adij:

CArolus diuina fauente clementia Electus Romanorum Imperator
semper Augustus, ac Germaniæ Hispaniarum vtriusq; Siciliæ Hierusa-
lem &c. Rex: Serenissimo Principi Domino Ferdinando Infanti Hispa-
niarum, Archiduci Austriæ &c. patri nostro charissimo, salutem & fra-
terni amoris continuum in christum Serenissime Princeps frater cha-
rissime, quæ vestra Serenitate munibus nostris Oratoribus ad Rhute-
norum Principem missis, mandatis dedi, cui nil sit quod in eò præ-
terea desiderari possit, plurimum admodum & approbamus. Placent &
nobis non minus Oratores nati, tum proprijs virtu-
tibus egregijsq; animi dori- bus, tum ad hoc rerum gerendarum
pericia præditi. Quodq; altissimi Cæsarem Maximilianum
Dominum & Auum nostrum foelicitate vix eodem legationis mu-
nere functus, & toti huic, quod repa- rat Rhuteno foederi & negotio
Auspex fuerit ipsaq; fundamenta iecerit, ita ut nemo in eo sibi nedum non
præferri, sed ne conferri quidem possit, quo fit, ut rebus hijs per vestram
Serenitatem tam prudenter tam gnauiter & exacte consideratis & expen-
sis non dubitemus omnia foeliciter succedura. Cui itaq; mandatum ad
hoc nostrum ex animi sui sententia remittimus, in quo nil aliud immuta-
uimus, quam vnum articulũ, qui se ad instructionẽ referens, totius man-
dati vim & neruum illuc conferebat, quem tanquam minus necessarium
ẽ medio tolli maluimus, quam ut ob id an- sam porrigi partibus inuestigan-
di nostri animi & mentis arcana quæ Instructioni, ut plurimum liberius
inferentur, Oratorumq; fidei & ingenio ex rerum & negotiorum statu &
variatione tractanda seorsum tucius committuntur, Alia verò de quibus
certior fieri cupit vestra Serenitas siue cū Poloniae Rege siue Moscorum
Duce, vel cum ipsorum altero, seu confecta prius, vel etiam spreta, & de-
sperata inter eos pace agenda & tractanda omnia vestræ Serenitatis sum-
mæ prudentiæ & voluntati integre referuare & cõmendare voluimus, ut
id totum, quemadmodum vtriq; nostrum rebusq; isthic nostris omnibus
habita rei, loci & temporis ratione, opportunius consultiusq; fore visum
fuerit, libere perpendere dirigere agere & perficere possit. Quod nobis
æque atq; vestræ Serenitati iucundius gratumq; erit. Et valeat vestra Se-
renitas quam foelicissime. Datum in ciuitate nostra Toleti die X. Ianu-
arij, Anno Domini M. D. XXVI. Regni nostri Romani septimo;

Vester bonus frater Carolus.

W. Brantner.

Fer-

Ferdinandus Dei gratia Princeps

ET INFANS HISPANIARVM ARCHIDVX AV-
striae Dux Burgundiae &c. Imperialis locumtenens generalis &c.

Nobilis & fideles dilecti. Cum nuper apud nos substitissent Tubin-
gae Moschouitici Oratores à Cæsare reuersi per Consiliarium nostrum
Doctorem Ioannem Fabrum sciscitati sumus de fide & religione ac cere-
monijs gentis. Quæ omnia idem Consiliarius noster, vt ab eis acceperat
in libellum postea digessit, Quem ea potissimū ratione hisce adiunctum
mittimus vt lectus à vobis suggerat refricetq; memoriam si quid eorum
vel videritis vel obseruaueritis. Quod protinus vt oculato testimonio
vel obseruatione possit probari. Itaq; iniungimus vobis, vt diligenter tam
rationem fidei quam ceremonias etiam ad eum modum inquiratis, per
occasionem. Quam ipsi ad industriam & ingenium vestrum assumetis vt
certius de omnibus sic informati huius gentis religionem & ritum asse-
quamur, Quem & in sacris & prophanis rebus soleant obseruare. Quod
si quodpiam exemplar Missale vel Ceremoniarium aliud liber, vnde depre-
hendi facile possit sacrorum eorundem operatio circa Eucharistiam, &
alia, commode in manus vestras inciderint, nobis gratum erit, vt com-
parentur, Qui cupimus scire ad amulsum, vbi conueniant, vel discrepent
in articulis fidei, ac ceremonijs. Erit nobis hæc inquisicio & labor omnis
vester periucundus, neq; vobis difficilis, Quem vt omni studio prosequi
velitis, nostra est benegrata voluntas. Datum Augustæ die prima Men-
sis Februarij Anno Domini M. D. XXVI.

Ad Mandatum Serenissimi Dni
Principis Archidu: proprium.

Nobili & fidelibus nobis dilectis Leonardo Comiti de
Nugarolis, Sacræ Cæsar: & Catholicæ Maiestatis &c.
ac Sigismundo de Herberstain Equiti Aurato Con-
siliarijs & Oratoribus nostris ad Serenissimum Prin-
cipem Moschouitarum.

Basilii Magni Moschorum Dux, qui se Russiæ totius regem scribere cepit, Carolum Imperatorem in Hispania & Ferdinandum Archiducem Austriæ per internuntios suos sollicitabat, ut amicitiam & fœdus cum auo Maximiliano à se initum renouarent. Quare Carolus Leonardum Nugarolensem Comitem, Ferdinandus autem me legatos primum ad Poloniæ regem Sigismundum & deinde ad ipsum Moschum designarunt, ut autem ea res commodius conficeretur, Ludouicum regem prius Budæ adijmus, ut ipsius interuentu apud Poloniæ regem patrum suum pacificatio inter eum & Moschouïæ Principem nobis eam tractantibus commendaretur. Itaq; Cracouiæ cum Sigismundo de pacis atq; induciarum cum Moscho in eundarum conditionibus egimus. Sigismundo autem primum res suspecta visa est. Postea vero legatio nostra cognita, per quam grata & accepta fuit. Proinde impetrata apud Moschum Lithuanicis oratoribus fide publica atq; quinquennialibus Mosaisco (ibi enim tum Princeps is degebat) inducijs pactis, benigne ab eo sumus dimissi, cum prius admoniti verbis eius fuisset. Turcam ad Budam in Pannonia fuisse, videlicet, ut itinere in reditu peragendo nobis caueremus. Ita non Turcæ beneficio, sed Principum nostrorum opera pax est inter Polonum & Moschum facta.

D De Turca

ALTERA LEGATIONE A FERDINANDO IMPERA-
TORE TVNC ARCHIDVCE MISSVS AD MOSCVM,
ILLE ME TALI REMISIT VESTE.



DE Turca res sic habebat, Solemanus Turcarum Princeps Ludouicum regem cum exercitu in Hungaria prostrauerat, ac Buda capta atq; exusta Arce tamen regia intacta victor Constantinopolim redijt.

AT Ludouici Regis miserando interitu Archidux Ferdinandus, Bohemiæ & tandem Hungariæ Rex est legitime renunciatus.

EO tempore publico quod gesseram mutato ex consilio regiminis ad ærarij siue Camerae inferiorum Austriæ prouinciarum curam & functionem sum progressus.

M. D. XXVII. Septentrionali legatione defunctus, in Bohemia Pragæ solenni Ferdinandi Regis inaugurationi XXIII. Februarij interfui. Et Maiestas eius, mandati mihi commissi exequutionem nec minus reliquas etiam actiones meas quas iudicio meo peregeram ratas habuit & gratas.

XIII. Nouemb. Ferdinandus apud Albam etiam regiam in Pannonia Hungarorum rex est coronatus. Inde Strigonium se contulit, atq; eo loco in Poloniam me ad Sigismundum regem remisit.

M. D. XXVIII. Apud eum regem Petercouiæ in conuentu publico causam regis Ferdinandi egi. Aderant enim ibi quoq; Ioannis Zapolitani insignes oratores.

M. D. XXIX. Lithuaniam ad Poloniæ regem missus, XX. Marcij Vilnam perueni, & negotijs ibi confectis Viennam XXVI. Maij reuersum, continuo rex Cracouiam remisit.

Septembri proximo rex Turcarum Solemanus in Austriam venit, regionem ferro & igni vastauit, Viennam circumfedit, & actis cuniculis magnam muri partem deiecit, spe tamen frustratus, & obsidionem soluere coactus re infecta in Thraciam est reuersus, In aduentu eius templa & suburbana ædificia omnia homines nostri solo æquauerunt. Itaq; ex
Polonia

Polonia in Austriam reuersus, & regionis & vrbis Viennensis faciem miserabiliter mutatam summo cum animi dolore vidi.

EO anno bis Vienna Lincium à rege sum euocatus.

M. D. XXX. Vratislauriam missus verum non successit, tum Poloniae in maiore Polonia cum alijs regis nostri Oratoribus etiam ibidem frustra de pacificatione inter Ferdinandum regem & Zapolitanum Ioannem, cuius ibi etiam erant Legati egi. Sponsalia tamen inter Sigismundum Augustum Poloniae regem & Elisabetham Ferdinandi regis primogenitam peracta.

M. D. XXXI. Bruna Moraviae oppido XXV. Martij, in Poloniam ablegatus sum, sed ex itinere XV. Aprilis reuocatus.

Ferdinandus rex, Barones Guilhelmum de Rogendorf & Leonhardum de Fels & me Vissegradum inter Strigonium & Budam in Danubij ripa situm, misit. Venerunt eò quoq; Ioannis Zapolitani nomine, Franciscus Frangepanis Archiepiscopus Colocensis, Hieronymus Lasco & Gaspar Raskai. Eò loco primum indutiæ inter regem & Zapolitanum sunt pactæ. Et quia conditiones quædam earum ad arbitrium Poloniae regis erant reiectæ. Cracouiae deinde de eis cum rege Sigismundo egi. Mox Hieronymum Lasconem Budouicium Bohemiae oppidum ad Ferdinandum deduxi. Ab Æniponte etiam in Poloniam sum missus.

M. D. XXXII. Inter alios regis Ferdinandi legatos in Hungariam veni, vbi etiam præsto fuere Vincentius Pimpinellus Archiepiscopus Rosanensis summi Roman: Pontificis, & Guolfgangus Comes de monte forti, Caroli Cæsaris internuncij ad conuentum, ab vtraq; parte subditorum indictum properauimus versus Kienest. Cæterum quia vtraq; pars eò venire neglexit, infecta re discessum est.

Pacificacionis causa tractandi locus, deinde ad confluentem Ænij & Danubij, Patauiae Bauarorum constitutus est. Venit eò Cæsaris Caroli nun-

roli nuntius, Philippus Flerfham Episcopus Spirensis. Et Georgij Ducis Saxoniae Legati, Iulius Pflug, Simon Pistorius, & Christophorus Carlouicius, vt pacem inter regem & Zapolitanum tractarent. Affui ego quoq; cum alijs. Sed nihil plane toto Februario actum.

T Vrcarum Tyrannus Ioannis Zapolitani instinctu per Hungariam in Austriam ingenti cum exercitu Viennam expugnaturus contendit. Sed cum Carolum Cæsarem cum delectissimis copijs armatorum aduentantem cognouisset. Danubio relicto Guncium oppidum obsidione fatigauit, & inde per Stiriorum montes & saltus Mura, Drauo, & Sa-uo annibus transmisis magnis itineribus quasi profugit, Equites nostri expediti inter quos ipse etiam fui, duce Ioanne Caciaer insequuti clade extremum eius agmen affecerunt, plurimi etiam Turcæ Drauo absorpti qui iter eorum morabatur.

M. D. XXXIII. Salisburgo, Pofonium in Hungariam pacificationis causa missus sum sed frustra.

M. D. XXXIIII. Pragæ controuersias certas cum Babenbergensi Episcopo composui.

BIS rursus Pragam vocatus sum, & ex eo loco Gaelhausn vbi Electorum Principum consiliarij conuenerant, properaui. Quod nisi tum prædonum colluies ad Philippum Landgrauium Hafsiae, Ducatum Wirtenbergensem armis inuadentem confluxisset, ægre citra periculum legationem eam obiuissem.

MOx deinde cum Ioanne Pflug Cancellario Bohemiae, in Misniam ad montem diuæ Annæ sum profectus, vbi Cardinalis Moguntinus, & Georgius Dux Saxonum, de ducatu Wirtenbergensi, quem Vdalricus dux occupauerat concordia causa agebant. Inde statim Kaden Bohemiae oppidum, vbi tum rex Ferdinandus erat, recurri. Et ea ipsa die reuertebam in Kaden, quo etiam quos dixi Principes subsequuti sunt, Accessit quoq; Ioannes Fridericus Dux Saxonum Elector. Ibi de ducatu Wirtenbergensi res omnis transacta.

D 3 Paulo

PAulo post Schintauam ad Alexium Tursonem pro regem Hungariæ excurri.

M. D. XXXV. Viennæ fui, cum Vdalricus Dux Wirtenbergenfis apud regem Ferdinandum veniam commissorum precaretur. Et ducatum suū Maieftati suæ tanquam Archiduci Austriæ beneficiarij siue Vassalli nomine ferret acceptū, Sacramentumq; panagium supplex præstaret.

M. D. XXXVI. Ferdinandus rex rationem prouentuum suorum recognoscere voluit, ea de causa aliquot nostrum ad Ænipontem vbi tum erat, euocauit. Cum quo Tridentum profectus redeuntem inde per Carinthiam & Stiriam in Austriam sum comitatus.

M. D. XXXVII. XXV. Majj dissidentes inter se regni Hungariæ Consiliarios in concordiam adducendos à rege mandatum accepi XI. Iulij ad eosdem denuo rediens mandata illis Regis exposui.

HOc anno Regius exercitus cuius dux Ioannes Cacianer erat inter Sauum & Drauum amnes rerum omnium penuria laborauit, & cum se in tempesta nocte recipere vellet subsequuta fuga est. Itaq; à Turcis pluri-
rimi mortales ibi cæsi & capti sunt Tormentis quoq; bellicis & impedi-
mentis omnibus hostes potiti.

IN alia autem Hungariæ parte, quæ Poloniam attingit prospere res à nostris duce Leonhardo de Fels, cum quo Hieronymus Lasco partes nostras sequutus erat, gesta, & arx Sarosch munitissima perenni Petro Zapolitano adempta.

M. D. XXXVIII. Ad Schielle Hungariæ oppidum in Vagi amnis ripa situm in certorum Hungarorum conuentu causam regis nostri egi, XXII. Augusti.

M. D. XXXIX. XXII. August. magnis itineribus ad Poloniæ regem vsq; Vilnam excurri.

I. Septemb.

I. Septemb. fisco regio in Austria sum prefectus.

M. D. XL. bis in Hungariam causa Hieronymi Lasco & Voiuodarum Transiluanienfis missus.

I. Septemb. Celerrime ad Poloniae regem legatus sum, redij XXVIII. Octobris.

AD curiam Regiam in nouam Ciuitatem bis vocatus veni.

X. III. Decemb. Ad exercitum Regis quem apud Iaurinum Leonhardus Felsius ducebat, mandata Regia pertuli. Hoc anno Ioannes Zapolitanus mortuus est.

M. D. XLI. XXVIII. Februarij, Guilhelmum de Rogendorf copiarum Regiarum Ducem apud Comaron oppidum regis nomine conueni.

EO anno exercitus noster Budam, in qua Isabella Ioannis Zapolitani vidua relicta cum filiolo Ioanne Sigismundo & factionis suae Hungaris erat, obsedit, & deinde circa diui Gerhardi Collem se receperat. Huc ego à Ferdinando rege cum Thoma Pico Comite Mirandule Caesareo oratore, I. Augusti missus, veni. Tractaturi eramus cum Budensibus de conditionibus aequis, videlicet vt Hungariae Regum sedes Buda in Christianorum Principum potestate potius permaneret, quam Turcis dederetur. Sed ab illis ad colloquium non admissi, rebus infectis retrocessimus.

Copiae deinde nostrae à Solemano Turca, qui prope innumerabilem à Budensibus accitus secum exercitum adduxerat obsidentur, praeterea quoque ab equitatu Hungarorum, cuius dux erat Valentinus Terek praemuntur. In eas ergo angustias nostri redacti consilium se de nocte recipiendi & Danubium traiciendi capiunt, ventus vehemens impediebat vt elementa nobis videbantur aduersari. Non latuit ea res Hungaros aduersarios, mox etiam eorum indicio Turcas. Quapropter illi
nostros

nostros aggressi , postremo etiam cædes ingens est consequuta , impedi-
menta & tormenta simul omnia amissa, & Ister Christiano sanguine de-
coloratus.

GVilhelmus Rogendorffius fatali magis casu quam culpa sua hic lau-
dem prudenter fideliter & fortiter gestarum rerum. Deinde etiam bre-
ui vitam amisit.



ITA Buda in manus Turcæ peruenit , in cuius castra ad veterem Bu-
dam posita cum Nicolao Comite de Salmis , à Rege nostro missus, Se-
ptembri Mense veni. Persuasum ibi barbaro, ne longius hostiliter pro-
grederetur. Pestilentia tum multa loca in Hungaria, Austria, & Sti-
ria per quæ mihi redeundum erat, infecerat, saluus tamen vndiq; præ-
sidio Dei nostri euasi.

Anno

AMBO NOS ORATORES TALI VESTE AD
TVRCARVM IMPERATOREM MISSI.



TURCARVM IMPERATOR NOS QVOQVE
VESTIBVS DONAVIT.



1559

ANno M. D. XLII. Comaron ad Ioannem Iacobum Medicen
Marchionem Malignanum, qui copias nostras ducebat XXVIII. Marcij,
Regis iussu adij.

ADij etiam ad Alexium Tursonem, Proregem Hungariæ, & cum eo
de arce Scepusiensi egi.

Postea cum Adamo Carolo consiliario & Secretario regio Cracoui-
am ad Poloniæ Regem sum profectus, nuptijs hic liberorum regionum
de quibus dudum antea Posnaniæ actum fuerat dictus dies. Profectio
hæc non sine periculo, ob immensam aquarum exundationem est per-
acta.



M. D. XLIII. Primogenitam Ferdinandi Regis filiam Elisabetham
E 2 puellam

puellam scitissimam sponfam Sigismundo Augusto Poloniæ regi Spon-
so pronubus & aulæ magister XXI. Aprilis Cracouiam adduxi. Nu-
ptiæ VI. Maij celebratæ.

HOC anno Solemanus Turca, Strigonium & Albam regiam cum
pluribus arcibus in Hungaria cepit. Apud Albam Georgius Varcotus
vir fortis præsidij præfectus strenue rem gerens à Turcis cæsus est. Vi-
enna tum in expectatione obsidionis fuit. Sed hostis rebus suis in Hun-
garia firmatis ad sua se recepit.

M. D. XLV. Mense Febuario & Marcio cum Ioanne Lango regis
nostri nomine, Elisabethæ reginæ absenti Cracouicæ dotem centum mi-
lium aureorum Pannoniorum dinumeravi. Pecuniæ eius summa à
mandatarijs Sigismundi Augusti regis accepta, Sequenti proximo Iunio
mense Elisabeth Regina non sine maleficij suspitione extincta est apud
Vilnam Lithuanicæ cum publico & summo omnium ordinum & popu-
lorum totius Poloniæ & Lithuanicæ dolore & luctu.

M. D. XLVII. Pannonio curru Iunio Mense celeriter in oppidum
Gusling vectus sum, mandata peregi.

M. D. XLVIII. Sicuti etiam in M. D. XLVI. in conuentibus
publicis Austriacorum mandata regia sum exequutus.

M. D. XLIX. Historiam Moscouicæ stilo simplici congepsi, eam-
demq; Typis excudi curavi.

M. D. L. Sigismundus Augustus Poloniæ rex, Barbaram Radiui-
lam Lithuanam præter parentum & subditorum suorum omnium vo-
luntatem vxorem duxerat. Quam ob causam multi in Polonia in Lith-
uania mortales ei aperte, ob rei indignitatem, aduersari, & sperare Ferdi-
nandum Regem ob filiam suam non belle tractatam iniuriam vindica-
turum esse. Sigismundus vero Augustus à socero Ferdinando consili-
um petere,

um petere, Ferdinandus amnestia præteritorum induc̄ta, oratores suos Petercouiam ad publicum conuentum Polonorum ea de causa mittere. Legatio ea mihi & Ioanni Lango D. mandata, Dederat nobis etiam Carolus Imperator & ad regem & ad Polonicum conuentum literas, v eadem de re suo etiam nomine ageremus.

ITaq; qui alienori à rege suo erant animo Polonicum animaduertent Sigismundum Augustum coniunctas habere cum Imperatore & rege Rom. rationes, consilia quoq; illi sua mutauere, & amplissimum Sigismundus coniunctionis beneuolentiæ & pietatis Ferdinandi regis tulit fructum, Augustior subditis suis autoritate illius factus. Petercouiæ toto Iunio & Iulio mansimus.

EOdem anno Solemani Turcarum Principis oratorem & interpretem Mahmut nomine hominem Germanum deduxi & eduxi.

M. D. LI. Cum Thoma Nadasdeno Pannone Tibiscum transmiserem Transiluanam agentes mense Aprili.

M. D. LII. Mense Martio, cum Doctore Ioanne Lango collega in conuentu Polonorum publico regis nostri nomine, Regem & regni Poloniæ ordines hortatus sum, vt bellum nobiscum aduersus Turcas susciperent. Et laudata à plerisq; Polonis est oratio, & causa communis periculi approbata, sed nihil à nobis actum. Frequenter antea apud eam gentem orator fueram neq; iniucunde mihi profectioes acciderant. Sed tum non modo animos sed etiam faciem hominum mutatam reperi. Reuersus ad Regem meum comitia Posonij agentem Maiestati eius legationis euentum ibi exposui.

M. D. LIII. Ter Grecium in Stirijs à Rege vocatus veni, ac deinceps Catharinam regiam filiam Sigismundo Augusto Poloniæ regi desponsatam aulæ magister Cracouiam deduxi.

MVnere eo obeundo Iunium, Iulium & Augustū Menses impendi. Tertiæ hæ regales nuptiæ fuere ego prima fundamenta ieci. Spes in super
E 3 erat lo-

erat Ioannam quoq; minimam natu Ferdinandi Regis filiam, Ioanni Sigismundo, Ioannis Zapolitani filio cui desponsata erat adductum iri. Sed maluit ille malo consilio fidem & conditiones Turcicas, quam coniunctionem nostram sequi.

M. D. LIIII. Munus fisci mihi mandatum sedulo administraui.

M. D. LV. Bonæ Poloniae Reginae viduæ in Italiam redeunti, Viennæ ubi eam Rex Ferdinandus benignissimè habuit inseruiui.

M. D. LVIII. Hæc conscripsi, anno ætatis, LXXII. exacto.

DEO GRATIA.

AD

A D M A
GNIFICVM DOMI
num Sigismundum de Herber-
stein, Equitem auratum, Consi-
liarium & Oratorem, Inuictissi-
mi Maximiliani Cæsaris semper
Augusti, ad Serenissimum Sigis-
mundum Poloniæ regem &c.
Et Magnū Moschorum
Ducem.

IOANNIS DANTISCI SOTERIA.

CRACOVIAE IIII FEBRVARII

Anno

M. D. XVIII.

**Ioannes Dantiscus randem Epi-
scopus Varmiensis.**

S Vnt superi, cœlumq; suo Rectore moueri
 Quis nisi mentis inops, cernens conuexa negabit
 Ætheris : hoc, tellus : aer : & pontus, & omne
 Id quod viuit in his, & quod producit ex his,
 Dirigitur, iusto positumq; sub ordine sistit.
 Huic certe est ingens hæc orbis machina curæ
 Qua genus humanum, genus & qua totum animantum
 Vitali pariter vegetando vescitur aura,
 Omnipotens sator ille hominum, rerumq; creator,
 Cuncta suo regit arbitrio, nil accidit vnquam
 Quod non ante diu voluit diuina voluntas.

Ille tibi Sigismunde dedit per tanta viarum
 Interualla animum inuictum, quo semper in omnem
 Euentum contra rerum discrimina mille,
 Et casus varios iuisti pectore forti.

Hoc Equitem decet Auratum, sunt talia veræ
 Militiæ, non quæ rutilant insignia collo,
 Talia non aliter quam cum sudore parantur.

Amphitroniades hæc gessit ad ardua ductus
 Culmina virtutis, linquens post terga petulcæ

Fœda voluptatis, prorsus fugienda probatis
 Castra viris, Iter esse reor quod litera profert

Herberstein. Pythagoræ, vnde tui maiores stemmata primum
 Sumpserunt, ex vi liquido cognominis : & re
 Elicitur, quid enim saxum designat honesti,
 Virtutis siquidem culmen, Qui teq; tuosq;
 Perpendit mores, & nuper strenua gesta,
 Ille statim, & merito te illius dicet Alumnum.

Maximilianus Hoc animaduertens Cæsar Romanus, in orbe
Cæsar Romanus Primus post superos, nudæ virtutis amator.

Te subito meritis titulis, & honoribus auxit
 Teq; suis postquam rediisset ab orbe Britanno

Iohannes Vi-
sturius captus. Præfecit contra Venetos, vbi Marte secundo
 Cum Comite ex Salmis strauisti faustiter hostes
 Vnde tibi torquem, & fasces donauit equestres.

Hinc te post varios habitos hinc inde labores

Rex Daciæ. Ad Regem misit, qui Dania Regna Gothorum
 Olim dicta, regit, qualem te gesseris illic
 Intrepido postquam congressus es ore, neganti
 Pacta semel, late magni scit Cæsaris aula.

Quanta

Quanta mari passus, quam multa pericula terris
In reditu, quantumq; iterum discriminis, acres
Missus ad Heluetios, cum fluctibus obrutus esses
Pene lacu, longam si conor cuncta referre
Crescet in Historiam, diuo pro Cæsare semper
Omnia magnanimo patienter corde tulisti,
Adiecit plus inde tibi non ficta fauoris
Cæsarei virtus, acreuit & inde supellex
Ditior, & mentis generosæ industria maior,
Multa gerendarum rerumq; peritia & vsus.
Vnde feros cupiens belli sedare tumultus
Inter Sarmatiæ regem sæuumq; Tyrannum
Moscorum, Cæsar, medijs in millibus vnum
Te solum offendit, cui tanta negotia soli
Crederet, expertus seruatam in rebus agendis
Cum probitate fidem, studia indefessa, profundi
Ingenijq; tui vires, rationis & alta
Sensa tuæ, simul & complura idiomatica, dotes
Præterea innumeras animi, te misit ab oris
Vindelicis perpulchra Lici, magniq; ruentis
Littora Danubij, piscosus vbi Istula lenes
Voluit aquas, vsq; ad Lithuanæ ditia terræ
Iugera, ibi Regem Sigismundum milite multo
Tendentem in Moscos, Orator gratus adisti.

Qui te pro magno, magnum quo Cæsarem amore
Prosequitur, digno venientem excepit honore,
Et te Cæsarea postquam de mente fuisset
Ingenue edoctus, per lata Borysthenis arua
Dimisit multo donatum munere, adusq;
Vastas Moscorum terras, per deuia ductus
Et nemora, & sylvas, & per tot lustra ferarum.
Perq; lacus, & per tot flumina, perq; paludes
Venisti tandem, lignorum mole per amplam
Vrbem quo statuit, periuro pectore, Moscus.

Quot perpessus ibi torpentis tædia vitæ
Quot duros pariter casus, atq; inter eundem
Euentus subitos, discrimina multa, viarum
Anphractus varios, incommoda, mille labores,
Quis referet, non parua Lici distantia habetur
Ad Thanaim, quam tu transisti sospes, ibidem
Multa expertus, agens mandata fideliter, in te
Nil penitus deerat, per te nihil esset omissum,

*Sigismundus
Rex Poloniae*

F In fatis

In fatis sed adhuc res hæret, Fataq; rebus
Iustitiæq; viam facient, gens barbara noscet,
Non consueta fidem, Superos, hominesq; vereri
Perfidiam nunquam vindicta impune manere.

*Orscha Castrū
regium ad Bo-
rystenem sub
quo quinquā-
ginta millia
Moschorum
desideraban-
tur.*

Quamuis immotos, memoranda clade sub Orscha
Se simulent vafri, tamen imo corde dolores
Audebant, fat causa liquet, sic vrsa recondit
Abdere non possunt, non est magis vlla sub armis
Spes post hac cladem, cur non configere nuper
Conclusi tot aquis, & putri conditi in vluā
Se penitus syluis foetu post terga relicto
Dum vidit venabula, dum magnamq; canum vim,
Quo perculsa metu, noctes vigilando diesq;
Non ausa è latebris, fugendo accumbit in vngues.

Tempus erit, superiq; dabunt, & Rector olympi,
Qui iustos, & iustitiam non deserit vnquam,
Quo pœnas pro perfidia dabit improbus hostis,
Cumq; suis, quantum Lithuana, Polonaq; possunt
Agmina complicibus, misere experietur, adherent
His forsā quos religio vetat alma, sed istis,
Si non desistent, crimen quam sit graue Diuos
Lædere, & aduersus iuratum tendere pactum,
Exitus ipse feret. Post tandem tedia longa,
Et tot perplexos successus inter agendum,
Longinquum permensus iter, per lustra, per amnes,
Barbarie ex media nostris feliciter oris
Applicuisti, etenim cunctis gratissimus hospes.

Te rex, te regni proceres, te concio tota
Regnicolūm, lætis oculis, & pectore, saluum
Aduenisse lubens gratatur, apertius vnde
Exciti, vident, affectus, in Cæsarem amorem
Regis testantur, cuius tu nomine pulchrum
Nomen habes, nec enim sine numine credo tonantis
Hoc fieri, pariter quod eodem nomine haberis
Cum rege Orator, cum quo spectacula nuper
Vidisti parilis, varia sub sorte, Duelli,
In quo Sambocius virtute animatus, honorem
Et vitam asseruit, præstanti, pectore, & ore
Intrepido, pedes amisso iam Sonipede, clarum
Egisset facinus, si non ablata fuisset
E medio hasta, tamen paruo mucrone fat actum est.

Et quia constanter, commissa negotia agendo

*Ioannes Sam-
bozki aulicus
Regis Poloniae*

In tara

In tam longinqua, & dura regione fuit,
Inter inhumanos mores, gentemq; prophanam
Nullius fidei, detentus tempore longo,
Tot post ærumnas, exanclatosq; labores,
Non ingratus erit tibi Rex, pro Cæsare rursus
Nil sibi vel durum, nil difficile, atq; molestum
Dum res, & ratio deposcet, in orbe, futurum est.

Ipsè ego te rediens etiam paulo ante, Saluto,
A Batauis, vbi eram cum Cæsare, cumq; nepote
Illius Hesperiaë qui regna superba gubernat,
Interea quo liquisti tecta alta, profectus,
Diuitis Augustæ, te non, procul ipse remotus,
Vidi, Nunc quid enim potuit mihi gratius orbis
Visendum quam te cupienti ostendere dudum,
Hæc igitur quæ pro reditu Soteria voui
Dono tibi, faciles non dedignare Camænas,
Ad te precipiti cursu properanter euntes,
Pro reditu quæ vota tuo promissa, precesq;
Thuraq; dissoluunt superis, multumq; precantur
Vt redeas fœlix, & terq; quaterq; beatus
Vnde exiisti Romani ad Cæsaris aulam.

Si quis erit nostro magnis fortassis in ævo
Meonides, fies Ichaco plus notus Vlysse,
Tuq; hominum varios mores, varios hominesq;
Multaq; vidisti vetus, per Regna, per vrbes,
Non per lustra duo, sed per breue tempus, ad annum,
Materiam inde dabis Musis, campumq; patentem.

Ast ego perpetuo qui te complector amore
O Equitum Sigismunde decus, confata colore
Hæc subito, mecum siquidem retinera nequiu,
Da veniam paucis, tibi postea plura dabuntur.

AD EVNDEM EPIGRAMMA.

Quod cecini quondam Grinæ tristis in Æni
Littoribus, mœstum carmen habere cupis.
Quicquid id est, concedo libens, nec carmina solum
Hanc etiam, mecum si foret illa, darem.
Decreui tandem, quæ quadret ducere vitam
Ætati, & castus, Relligiosa sequi,
Est hominum instabilis, fluxus, periturus, at ipse
In superos omni tempore durat amor.

Quam duræ miseri sunt conditionis amantes
 Qui nullas sedes, nec loca certa tenent.
 Nil datur æternum, sed quo rapit impetus, illuc
 Ambigui in dubijs pectora rebus agunt.
 Errant & raro placida statione fruuntur,
 Atq; alia ex alijs sub iuga amoris eunt.
 Hæc placuit Danaïs, Latijs hinc illa sub oris,
 Hæc fuluis, niueis gratior illa comis.
 Aurea disposuit pulcræ hæc redimicula vitæ
 Moreq; Germano vel Ioue digna fuit.
 Sub gelido Arctoi placet altera sydera coeli,
 Candentes superans candida tota rosas.
 Deniq; quocunq; adueniunt, terraq; mariq;
 Hospitibus varius corda pererrat amor.
 Et dum iam tacitos inspirat subdolus ignes,
 In longas iterum cogit abire vias.
 Singula nunc miserè dum te Grinæa relinquo
 Experior, vastum carpere iussus iter.
 Quid magis excruciat quam grata relinquere cepta,
 Et spem, quæ miseros sola in amore beat.
 Sic solet impastus viso lupo ire ab ouili,
 Sic apis ex dulci flore repulsa volat.
 Decipitur sitiens fugitiuis Tantalus vndis,
 Et quod perpetuo poscit, habere nequit.
 Durior est mea sors, dum desero moestus amata
 Quæ me prosequitur, meq; tenere cupit.
 Auelli amplexu, nudis discedere ab vlnis,
 Linqere tot risus, basia, furta, iocos.
 Absq; dolore quis hæc humano sanguine cretus,
 Quisue libens vnquam, qui ista reliquit, erit?
 Inuitus nuper te flens, mea vita, reliqui,
 O animi medium, præcipuumq; mei.
 Strinxisti cupidis lachrimans mea colla lacertis,
 Presistiq; meum pectus adusq; tuum.
 Immaduerè tuæ roranti lumine malæ,
 Nec minor in nostras decidit vnda genas.
 Inuitus dextræ dextram, de hinc labra labellis
 Iunximus, & tristi diximus ore Vale.
 Iussa mei Regis tunc: & tunc Cæsaris arma
 Execrabar, & hoc ire quod angor iter.

Quam malle illius, quem sparsa cruore necarunt
 Linthea, vel sortem, fata ve dura, sequi.
 Nunquid Abidæus Iuuenis felicior est me,
 Quem ferus in patrio gurgite merfit amor.
 Hunc Hero eiectum miseranda in littore vidit,
 Et se precipitem, fortiter vltima, dedit.
 Ast ego qui terras, & tot maria alta pererro,
 Nescio qua veniet mors regione mihi.
 Pellor vt à tumidis folium quod vertitur austris,
 In nullaq; diu sede manere datur.
 Nunc feror Æois, vbi Phœbus surgit ab vndis,
 Nunc Tartesiacas rursus vbi intrat aquas.
 Nunc iterum sæuis Nothus imbrifer vnde procellis
 Rursus vbi glacie, Parrhasis vrsa, riger.
 Quo me cumq; loco celsis vel in Alpibus abdo
 Conditus aut ima sim modo valle licet.
 Circumseptus & his, qui culmine sidera tangunt
 Montibus, inueniunt me mea fata tamen.
 Si fugio ad Tanaim, magni vel ad hostia Nili,
 Vel procul ad Gades, seu glaciale fretum.
 Nusquam tuta quies, amor instat, agitq; latenter,
 Et subit incensa, pectora nostra, face.
 Nil magis admiror, quam cum sit cœcus, & infans
 Quod me audet temere saxa per ista sequi.
 Quod loquor, ad summum potuit penetrare tonantem,
 Nec tutus Pluto sub Phlegetonte fuit.
 Exarsit gelidis nans Ænnofigæus in vndis,
 Admeti pauit, pulcher Apollo, greges.
 Alcides neuit, gemit Poliphemus in antris,
 Æcides contra noluit ire Phruges.
 Ingens imperium Gnidius puer occupat orbis
 Et certas gestat, pectus ad omne, manus.
 Olim nil graue erat, Iuuenis dum feruidus, vltro
 Quæsiui Cypriæ, mollia regna, Deæ.
 Inq; Papho sacra thura focis, Arisq; virentem
 Mirthum, cumq; rosas lilia mixta dedi.
 Nunc vigor ille abiit, sensim & mea tempora canis
 Albescunt, ætas & mihi dura venit.
 Ipse tamen (quamuis enitor vt impete paruo
 Non vincar) mecum certat iniquus amor.
 Ille tuum reditum limis persuasit ocellis
 Nuper, dum fueras è regione, mihi.

Inspuz.

Ille tibi Charites, nitidosq; afflauit honores,
 Et quicquid pulchri tota decoris habes,
 Ille meum pectus iaculis transfixit acutis,
 Victor &, hanc habeas, inde profectus, ait
 Sic crucior, patiorq; graues in amore dolores,
 Inq; meo crudum pectore vulnus hiat.
 Inter & hic certe dolor est vehementior omnes,
 Quod non concepto debeo amore frui.
 Cogor abire, moræ necquicquam restat, eundum est,
 Quo fors, quo fatum, res dominiq; vocant.
 Rhetæas Alpes, Athesim, pontemq; per Ænum,
 Mæstus & inde domus tecta relinquo tuæ.
 Respicio post terga tamen parux procul vrbs
 Mœnia, & vt redeam mœnia visa iubent.
 Ter conatus eram Temonem vertere, terq;
 Obstiterat votis, res peragenda, meis.
 O me infelicem pellor sic faucibus à te,
 Languenti quis opem, Pharmaca quisue dabit
 Tu solo aspectu præcordia lesa benigno,
 Et posses tactu reddere sana manus.
 Sed raperis propere, rapiorq; miserrimus Euro
 Otior, & nostri est nulla medela mali.
 Non mihi Phillyrides, nec item prodesse Machaon,
 Nec poterit medicæ Delius auctor opis.
 Non nisi te rursus videam sanabor, at illa
 Quando dies misero, quando erit illa dies.
 Corpus abit solum, tibi mens animusq; cohæret,
 Sensibus infixæ est sic tua forma meis
 Fœlices igitur firmo qui vtuntur amore,
 Durius incerto viuunt amante nihil.

AD MAGNIFICVM DO-
MINVM SIGISMVNDVM DE HERBERSTEIN,
 Equitem auratum, Consiliarium & Oratorem Inuictis: Cæsaris Ma-
 ximiliani. Ad victoriosissimum Sigismundum Poloniae Regem &c.

Et magnum Moschorum Ducem Rudolphi Agricolaë Iu-
 nioris Poetæ à Cæsare Laureati congratulatio.

Perpetuam virtus, & facta illustria famam
 Immeritis Sigismunde mori, nomenq; perenne.
 Ac incorruptos donant præconis honores
 Pelidæ Rhodius cecinit gesta inclyta vates,

Quem

Quem fortunatum dixit, Rhetea pererrans
 Culmina Alexander, Macedum fortissimus Heros.
 Thebarum postquam destruxit moenia, & altum
 Ilion ingressus, Troianaq; pergama visit
 Inferiasq; viris ducibus, quos iustulit acre
 Bellum: vtrinq; duo Troiae per lustra, parabat.
 Nec paridis Cytharam imbellis dignatus, amantum
 Qua rixas post raptum Helenae cantare solebat
 Perfidus in magnum Menelaum, perfidus hospes,
 Idæus pastor, iudex fatalis in omnem
 Euentum vitæ, quando Minoia quondam
 Regna petit rex Argiuorum, Agamemnone iuncto.
 Magnanimo Heroi testudo placebat Achillis
 Bellica Theffalici, sine quo Neptunia starent
 Laomedontiacæ non diruta pergama Troiæ,
 Nî congressus erat Troianus veste patroclo
 Ipsi vsu utenti, fallacibus Hector & armis
 Quem, pius in fidum comitem, succensus Achilles
 Atq; ira atq; odio Stygias penetrare paludes
 Compulit, Iliacam ter circum atrociter urbem
 Raprans, bisseis donec pater ipse diebus
 Hunc ope Mercurij, magna mercede redemit.
 Ille prius clara testudine sæpe molestum
 Sæpe diem, curaq; animum grauiore leuabat,
 Optima Philyride præcepta. & martia regum
 Prælia cantando dubios belliq; tumultus.
 Hic amor, hæc eadem virtus cognata Poetis
 Res celebrare virum magnas, præclaraq; gesta
 Scribere, & immortale decus, laudemq; venustis
 Diulgare modis, quod nunc Dantiscus ad vnguem
 Factus homo Sigsmunde facit, virtute tuorum
 Perspecta, ingenioq; tuo, Fratrisq; Georgij,
 Quo duce Carniolis pax est & candida quondam
 Libertas data, quam ius (quod Stara praua vocabant)
 Antiquum propter, vulgus violare parabat
 Væsanum nulla ductum ratione, furensq;
 Hic vbi piscosum Mueræ, Drauiq; fluentum
 Vorticibus Sauus magnis magno impete currunt.
 Donec Celeiæ comitatum viderat, illic
 Vndanti est similis Nilo lacus, ille per annum
 Ad lapidem crescit certo, certoq; recedit
 Tempore, & exundans vbi quondam fluxerat vnda

*Alexander ca-
 ptus Thebis Illi-
 on ingressus.
 Paridis Cytha-
 ra.*

*Testudo
 Achillis.*

*Priami auriga
 Mercurius.*

*Chiron præce-
 ptor Achillis.*

Dantiscus.

*Bellum seruire
 Carnorum, Sty-
 riorum & Ca-
 rinthiorum.*

*Munera &
 Drauis perflu-
 unt Styriam.*

*Sauus in Car-
 niola.*

Piscibus

Piscibus omnigenis plenissima, rusticus illic
 Et ferit & subito metit, agros vberè fructu
 Gramina pascit ouis, venatur callidus auceps
 Et volucres, leporesq; simul, Postonia multum
 Sublimis iuxta aërijs munita superbe
 Moenibus à Cirkhnicz, qua stulta Georgius olim
 Istius ignoti populi compresserat arma
 Et libertatem patriæ victricibus alis
 Restituit, Cæsar quem Maximilianus abunde
 Militiæ claris insignibus extulit, & te
 Cæsar quo maius nil ingens sustinet orbis,
 Nec melius, toto quem semper pectore & ore
 O Equitum Sigismunde decus, specimèq; tenebo
 Siue Mesembriacum vagus erro ducar in orbem
 Siue procul pergam Scythicas peregrinus in oras,
 Seu Gangem videam, nulla hic obliuia nostræ
 Mentis erunt, quam sit probitatis cultor & æqui
 Postquam te excoluit satis edocuisse viderur
 Te Sigismunde inquam forti quem pectore nunquam
 Rebus in aduersis fortunæ deijcit æstus
 Vnde tibi tetrico potius cognomina saxo
 Defluxisse reor, tumidis quod fluctibus obstar,
 Prima latinorum si non est littera, honesti
 Nomen habes lapidis, ratio tamen vtraq; partem
 In quamcunq; velis exponere, vera probatur
 Si mediam expunges, domini quæ syllaba saxum
 Constituit, meritum poteris deducere nomen.
 Inde grauem Galeam, Cæsar, Clipeumq; choruscum
 Quæ sint virtutum non pignora vana tuarum
 Contrulit, hæc Cincinnatus voluisset habere
 Nec sibi Pisones, Fabij mage grata tulissent,
 Nec Lacedemonius spreuit Lisander aratrum
 Ad recti si culmen amas sublime referre,
 Aurea Magnanimis virtus altissima suadet,
 Hactenus inuictò quæ animo persæpe subijisti,
 Indiget hæc Galea qua quum sis fortiter vsus
 In Venetos & sæpe alias, insigne coronæ
 Addidit, atq; auium qua toto nulla sub orbe
 Nobilior viuat, voliterq; per æthera nulla
 Altius expanses latus ille ad vtrumq; Coronæ
 Imposuit pennas, nullo violabilis æuo
 Omnibus vt tua sit notissima fama sub oris.

Accipe

Accipe Moscorum venienti è finibus olim
Quæ nec coëta quidem, tibi, nec beneculta noramus
Carmina, si tempus foret vberiora dedissem,
Romani foelix redeas in Cæsatis aulam.

PATRIA MAGNIFICI DOMINI

Sigismundi, per Agricola.

Istriacam Italiae terram tribuere vetusta
Secula, quæ Carnos qui sequerentur, habet

Istria Carniola.

Albia quæ prisco de nomine dicitur, hic non

Ister in Adriacam defluit amnis aquam

Hic tibi natiuus locus est, clementia coeli

Istros & Tharfos inter amæna placet.

*Contra Melam
& Nepotem.*

Quo sit quisq; loco, quo natus tempore multum

Quæ sit natalis noscere stella iuuat.

Vis coeli stellæq; trahunt subiectaq; mundo

Maiori & fatis terra locusq; suis.

Hæc equitum Sigismunde iubar, genitalis, vtranq;

Inuidum ad sortem pectus habere dedit.

Quis loca Thessalicis nunquam cedentia tempe,

Quis vipacum & montes enumerare queat.

Vina vbi campanis multo melioraq; ficus

Omne genus fructus nascitur atq; olei.

Quis patriæ breuibus miracula dicere possit,

Qua coeunt miris flumina multa modis.

Quis non miretur cuiusdam gramina montis,

Quæ calcans soleas perdere suevit equus.

Oeni mons.

Multa mihi scribenda forent, si tempore pauco

Præsenti possem certius ipse frui.

MAGNIFICO DOMINI

NO DOMINO SIGISMUNDO LIBERO BARONI
in Herberstain, Neyperg, ac Gutenhag, Consiliario, Came-
rario, ac Ærarij Austriaci præfecto Regio, &c.

CVI mittam breue muneri Poëma,

Ab incude recens mea profectum

Sigismunde? tibi, qui ineptiarum

Admirator es vnicus mearum

Delectant alios ioci procaces.

Infamis placet aleæ quibusdam

G Ludus,

Ludus, & sua tædij leuandi
Cuius est ratio: At tibi omne tempus
Quod est publica ab occupatione
Relictum, teritur venustiorum
Scriptorum aut, baro, lectione varum.
Ergo dum vacat à tuis negotijs,
Et voles male collocare tempus,
Aut vitare meridiationem.
Istud perlegiro meum Poëma
Atq; æqui facias boniq; quæso.

Iohan. Ludouicus Bralsicanus
I. V. Consultus.

Vide hoc Carmen Supra Comment. Moschotticij p. 195.

PHOENIX SIVE LV- CTVS AVSTRIÆ, OB MORTEM INCOMPA- rabilis Heroinæ D. Annæ Quiritum, Pannonum, ac Bohemorum Reginæ, &c.

PRima cicatricem vix duxit plaga supremam,
Vulnere cum ferio sanguinolenta nouo.
Nec defleta modis satis est mihi filia dignis,
Cum mater lachrymas postulat ipsa nouas.
Non ita consternata fui, nec territa damno,
Seu mihi quod pestis, seu mihi Turca dedit.
Quam modo Reginæ me mors percussit acerba,
Mors mihi flebilibus testificanda modis.
Indulgere iuuat lachrymis, nec turpe putabo
Plangere, foeminea tristia corda manu.
Hoc fatale mihi est, vexari fluctibus atris,
Nec tamen aduersis succubuisse malis.
Sic tolerata mihi vix est tolerabilis hostis,
Omnia grassantis per mea membra manus.
Sic tolerata lues vix est tolerabilis atq;
Sæua peregrini militis ira mihi.
Sicq; locustarum vis ingluuiesq; nocentùm
Vix toleranda, tamen dissimulata mihi.
Nec tamen ad lachrymas conuersa leuesq; querelas
Officijs egi non aliena meis.
Nunc animi est erepra mihi sententia constans,
Vix tueor partes nunc male firma meas.

Quosq;

Quosq; animo gemitus compressi moesta virili,
 Principis expressit mors mihi saeva mea.
 Heu quid ago infœlix, fatiq; exercita diris,
 Accessit nostris vis cumulufq; malis.
 Ad Scythicum conuersa Polum, septemq; Triones,
 Cûr inihibes saeuas mors violenta manus?
 Collimanda tibi sunt isthuc spicula, namq;
 Vxor erat Stygio dignior illa Ioue.
 Ecquid in inuisas non fumis dira nouercas
 Tela, quid inuisas non rapis ipsa focrus?
 Vixerit Aonio sic illaudatus Homero
 Therfites, viuat sic sibi quisq; malus.
 Omne capax rapit vrna caput discrimine nullo,
 Nec refert fuerit albus an ater homo.
 Omnia dissimili similis Proserpina fato
 Eripit, humanum nil miserata genus.
 Nec, mihi crede, aliquid mortalibus immortale,
 Hac sumus in sola conditione pares.
 Cætera Dij meliora tibi Regina dedere,
 Quæ sermone libet commemorare breui.
 Interea lachrymæ cessate grauesq; querelæ,
 Et vacet à gemitu foemina virq; pio.
 Arcessenda procul mihi sunt exordia rerum,
 Et series Regum longa petenda procul.
 Hinc abauos, atauosq; placet, clarosq; parentes,
 Et placet, à matris ducere stirpe genus.
 Gede mine antiquo deducta Megistane proles,
 Vna fuit Olgird, altera Kestud erat.
 Olgirdæ soboles est mascula rexq; Lagello,
 Qui sacro ablutus postea rore fuit.
 Atq; Wladislaus mutato nomine dictus,
 Sarmatiæ tenuit ditia Regna diu.
 Filius huic Casimirus erat rex impiger armis,
 Qui latè patriam rexit, & auxit humum.
 Cui plures natæ, cui sexus masculus hæres,
 Sarmatiæ summam qui tenuere diu.
 Mentio digna suo de natis tempore fiet,
 Natarum series sed referenda prius.
 Per quas affini coniuncta Alemania vinclo,
 Quam lambit tumidis Rhenus & Ister aquis.
 Anna Boguslai est Pomerani principis vxor,
 Barbara Saxonix nupta puella duci.

Regulus Heduigin Boiorum magnus habebat,
Vnde Palatinæ lumina multa domus.
Legnitio Elisabetha duci deducta marito,
Huic genti lumen contulit atq; decus.
Vni nomen erat Sophiæ, quæ nupta Dynastæ
Brandenburgensi prole beata fuit.
Cæsaris oprandi cui cura est credita genti,
Plena hæc principibus præsulibusq; domus.
Ad fratres redeo clarissima lumina mundi,
Præcipuè ad patrem Pannonis Anna tuum.
Pannoniæ huic vltro regnum dotale Beatrix
(Grande Beatricis nomen & omen habes)
Obtulit, & regni procerum officiosa voluntas,
Ah quantum est illo regnum habuisse modo.
Rursus Alexandra est Olgirdæ filia nupta,
Masouiæ quondam dux Semouite tibi.
Ex quibus Ernesti Cimburgis edita coniunx,
Fridricum Imperij protulit alma caput.
Hinc socer, hinc prosocer, leuir, hinc charusq; maritus
Plurimaq; hinc soboles, quod bene vertat, adest.
Nec tibi Moscouiæ gens inficianda niualis,
Ex hoc nobilitas est quoq; clara loco
Kestudes etenim Olgirdæ Germanus in illam,
Insertus gentem multa trophæa tulit.
Hoc patre Vitoldus dux est generatus, & illo
Lithuanix princeps tempore magnus erat.
Vnica, ni fallor, cui filia tradita Mosco,
Et desponsa duci vixit Anastasia,
Hinc ambo Basilij diuerso tempore, & inde
Ioannes vario tempore vterq; fuit.
Sarmaticum affini non solum limite, verum
Sanguinis attingis proximitate genus.
Nec vitio frater dabitur, qui dulce putauit
Pro patria, in patria, cum patriaq; mori.
Triste rudimentum belli, rex induit arma,
Arma Tyrocinio non satis apta suo.
Cedite nunc Decij, procul inde facebsite Curti,
Rex horum laudes clarus & huius habet.
Nec laus Elisabethæ auix reticenda paternæ,
Qua non nobilior foemina nata fuit.
Illi Cæsar auus, proauusq; abauusq; arauusq;
Pannoniæ frater, Rex fuit atq; parens.

Sarmatiæ coniunx rector, sed & ordine nati
 Succedunt, tenet hæc nunc quoq; regna nepos.
 Coniuge quid potius dicam, vel fratre mariti?
 Sarcina vix humeris hæc satis apra meis.
 De quibus est dixisse nihil, quam dicere pauca,
 Forsitan & satius conticuisse fuit.
 Alter ad occasum populos regit, Alter ad orrum,
 Et fermè ambobus paret vterq; Polus.
 Hoc satis est dixisse mihi, sed dicere plura
 Alterius fuerit grande laboris opus.
 Nec capit hos succincta breuisq; angustia chartæ,
 Quorum regificas vix capit orbis opes.
 Immemor incepti tristisq; oblita decori,
 Ad natos venio Sarmatis Anna tuos.
 Hic mihi læticiæ veniam da Diua licentem,
 Erumpunt toto gaudia corde mihi.
 Non possum gemitus simulare, grauesq; querelas,
 Sit licet incepto res aliena meo.
 Tollite ferales, lugubria signa, cupressus,
 Atq; parentales exequiæ ite procul.
 Nescite victrices circum mea tempora laurus,
 Vix memini, si quid flebile passa fui.
 Vsq; adeò generis spes inclyta, mascula proles
 Auftriacæ columen me fouet atq; domus.
 Vos Patruï Auspicijs victricia signa sequuti,
 Inuisum Christo tollite quæso genus.
 Vos Patris auspicijs victricia signa sequuti,
 Asserite afflictam gnauiter Hungariam.
 Conatus equidem nihil hos remorabitur vnquam,
 Interno impendet nullus ab hoste timor.
 Suppositas cineri prunas, flammæq; doloso
 Extinxit vester Patruus atq; Pater.
 Fallor? an à læua foelici lapsa volatu
 Confirmat volucris vota precesq; meas?
 E diuerticulo repetendus sermo, nec extra
 Propositi metas ire finendus erit.
 Quid referam natas & foemineum comitatum,
 Atq; puellares, numina vera, choros?
 Vix totidem ancillæ Reginis sæpe fuere,
 Aluo Reginae quot prodire tua.
 Atq; alias agitat regnandi dira libido,
 Nora sed exemplis res odiosa datis.

Sollicitat belli nonnullas cura gerendi,
 Precipue regnum quo muliebri loci est.
 Faustinas alix referunt, matremq; Neronis,
 Est quoq; cui placeat trux Cleopatra nimis.
 At tibi nulla fuit regnandi, nulla minandi,
 Nulla extorquendi sœua libido fuit.
 Quamuis dotalis sublata ad culmina regni,
 Conditione fuit mens moderata pari.
 Tu telas, non tela, nec arma cruenta, nec arces,
 Non profecturis icibus oppositas.
 Sed bona tranquillæ curasti commoda pacis,
 Irarum fugitans, atq; quietis amans.
 Regibus vxores, tot reginifq; maritos,
 Atq; orbi dominos te generasse sat est.
 Imperitent alix præter muliebri decorum,
 Te pensis famulas non onerasse pater.
 Adde supradictis maternæ stemmata stirpis,
 Addeq; Gandalidos clara trophæa domus.
 Principe Gandalio tua prodita Vascone mater,
 Complures habuit virgo pudica procos.
 Illa Wladislao tandem desponsa marito,
 Transegit vitæ tempora læta suæ.
 Tertius exierat sesqui & millesimus annus
 Bisq; decem, Iunij tresq; fuere dies.
 Quando ope Lucinæ genetyllidos implorata,
 Anna parens ortu est exhilarata tuo.
 Imposita est capiti matris, de more, corona
 Bis denis vitam mensibus ante tuam.
 Buda fuit natale solum, sed Rhetia nutrix,
 Qua fremit Alpinis turgidus Oenus aquis.
 Cæsaris hic studio est educata sororia tecum,
 Nubilis est donec vtraq; facta viro.
 Iam me virtutum vix enumerabilis ordo,
 Atq; vrget meriti gratia multa tui.
 Quid primum mediumue loquar? quæ in fine locabo
 Ornamenta tuæ rara pudicitæ?
 Ambiguam faciunt, & copia & optio mentem,
 Nunc placet hæc virtus, nunc placet illa magis.
 Ac velut in prato confidens virgo virenti,
 Qua fons muscoso profilit è lapide.
 Nunc varios molli decerpit pollice flores,
 Aut Narcisse tuos, aut Hyacinthe tuos.

Candida

Candida luteolis nunc iungit lilia calthis,
 Lilia puniceis mista papaueribus.
 Nunc violas, cythifos, thyma nunc frangantia carpit,
 Purpureas tenero nunc secat vngue rosas
 Attamen indubio est, non illud, nec magis illud,
 Eligit, & numero copia maior adest.
 Nec quod præponat, nec quod postponat in arcto
 Hæret, & opratis ambigit ipsa suis.
 Interea vt dulci sertum mittatur amico
 Efficit, vt folio versicolore fiet.
 Sic mihi per medias & eunti res & ituro
 Corporis, aut animi, fortuitiq; boni.
 Anna tuæ nullo dotes sunt ordine dictæ,
 Attamen hæc vnus singula fascis habet.
 Non bene principium posito reperitur in orbe,
 Nec finem ductus circulus vllus habet.
 Sic tua continuo virtus stat in ordine certa,
 Quæ nullum finem principiumq; tenet.
 Digna tamen species regno fuit ista tenendo,
 Rege fuit dignus corporis iste decor.
 Multus in ore lepos, in corpore multa venustas,
 Maestas oculis & reuerenda tuis.
 Matronale decus, fucu procul atq; colore;
 Qualia mentitus inficit ora color.
 Multifera vites laudantur palmitis, & qui
 Deposuit multo foenore reddit ager.
 Et sterilis veteri culpata est foemina lege,
 Fertilitas summo semper honore fuit.
 Pappia priuatis fuit & poppæa timori,
 Dicta maritandis lex fuit ordinibus.
 Omniparens natura suum de germine nomen
 Ducit, & à foetu dicitur ipsa suo.
 Et tu Cæsaridum mater Regumq; Ducumq;
 Egregiam laudem fertilitatis habes.
 Nam tua ter quina lætata est regia prole,
 Imo ego terquina prole beate feror.
 Atq; vtinam sterilis quàm sic foecunda fuisses,
 Iam fueras parva prole beate satis.
 Nec moriens Regina mihi damnosa fuisses,
 Interitu tantum quod foret absq; tuo.
 Namq; aliam pro te moriens Regina dedisti,
 Nata tuam interea vixerit illa vicem.

Ac veluti

Ac veluti Phœnix de morte renascitur ipsa,
 Atq; ipsam sese dum parit, ipsa perit.
 Sic tu cum viuam sobolem moritura relinquis,
 Immortalis eris morte renata tua.
 Pertinet ad laudes pietas tua cognita diuis,
 Notaq; pro populo sunt pia vota tuo.
 Te veniente die, te decedente precantem
 Certa fides sacris inuigilasse libris.
 Accepram precibus refero votisq; salutem,
 Quicquid id est quod sum, sum pietate tua.
 Ah quoties stricto molitus acinace plagam
 Turca, tua nocuit nil mihi abactus ope.
 Ah quoties dubij euasi discrimina Martis,
 Ploratu ad superos Anna sequestre tuo.
 Sic tuus infidias coniunx dominusq; latentes,
 Atq; hoc vitauit certa pericla modo.
 Imperij rebus dum consulit, & vagus illac,
 Nunc hac suspectis itq; reditq; vijs.
 Vel dum veatus equo salebras, perq; inuia tesqua,
 Obuius horribili non timet ire feræ.
 Dij superi nostrum seruate ante omnia Regem,
 Vitaq; principibus gloria sitq; meis.
 Non superos tantum, sed flectere docta fuisti
 Humanos etiam supplice voce Ioues.
 Ah quoties merite fecisti ignoscere culpæ,
 Commotum iusta cum ratione virum.
 Pro miseris nullas oratrix passa repulsas,
 Nec pro supplicibus ambitiosa reis.
 Regia sic fratrem, sic placat Iuno maritum,
 Iam iam missurum tela trifulca Iouem.
 Sic complexa trucem mollit Venus alma Graduum,
 Atq; iras reprimit delitiosa graues.
 Carceris atq; aliquis tetro squallore situq;
 Et pressus manicis compedibusq; diu.
 Quærit opem Regina tuam defuncta precesq;
 Atq; operam expectat nunc quoq; diua tuam.
 Dotibus ingenij fueras quoq; prædita multis,
 Quas ingens fuerit enumerasse labor.
 Nec socialis amor mihi commemoranda fidesq;
 Non erga dominum mutua cura tuum.
 Frigora, nec glacies, non æstus solstitiales,
 Non nix, non pluuia, non lutulenta via.

Non grauis Autumnus, non nimbi, non grauis Auster,
 Quæq; æstas oculis puluerulenta nocet.
 Te domino auulfere, nec atulfere marito,
 Abstraxere viro fata sed atra tuo.
 Non mihi Penelopes studium non iactet amorem,
 In laudes semper Græcia prona suas.
 Nec tibi præstiterit regi desponsa Pheræo,
 Viua maritali quæ tumulata rogo est.
 Hactenus est series rerum libata tuarum,
 Qua pote luce fuit, qua breuitate pote.
 Sed breuius dicam Reginæ Epicedion Annæ,
 Virtutum est isto sub tumulo cumultus.
 Vos autem extinctæ postremos reddite honores,
 Grataq; legitimis soluite iusta modis.

Mille Sigismundus dum fert mandata per orbem :
 Regibus ad Reges missus ab Austriacis.
 Seu petit auroram, solis siue arua cadentis :
 Ad Boream iusso seu dedit arctos iter.
 It toties, obit hæc toties data munia, Regum
 Austriadum vt possis dicere Mercurium.

A L I V D.

Hermes quod coelo, terris Herberstain hoc est :
 Semideum hic Regum nuntius : ille Deum est.
 Petrus Roisius Maureus
 Hispanus.

C A S P A R B R V C I V S E G R A. nus, Poëta Laureatus.

Gente Sigismundus satus Herberstainius ampla,
 Ingenij & generis nobilitate potens.
 Multarum illustri linguarum cognitione,
 Plurima qui vidit dissita regna procul.
 Sæpe à rege suo externas legatus ad oras
 Missus : & in Regnum Barbare Mosce tuum.

H D.M.S.

D. M. S.
SIGISMUNDO LIBERO BARONI IN
Herberstain, Neyperg, & Guttenhag, virtutis ac meritorum
ergo immunitate donato.

P. P.

ITala me primo Tellus sub flore Iuuentæ
Aurata Patriæ donatum torque remisit,
Maximus Æmilius Cæsar virtute fideq;
Forte mea adductus, Patrum me protinus Aulæ
Consilio adscripsit, requies hinc nulla laborum
Facta mihi: magnis de rebus iussa peregi,
Foederibus iunxi Reges: pacisq; tuendæ
Accendi studio, late qua Rhenus inundat
Danubiusq; pater, vagus Albis & Istula, quaq;
Dura Boristhenides colit impiger arua colonus,
Et gelido manat Tanais de fonte niuosus,
Rha leni placidas quaq; agmine lambit arenas
Nauigijs penetrans lustrauit cæca Rubonis
Crononisq; fluenta, & inhospita Tesqua peragrans
Legatus mandata tuli, Regumq; superbas
Accessi sedes: gemino subiecta Trioni
Balthea tranauit freta, magni Regia nostræ
Danorum domini lætata salutis honore,
Quis gestis rebus me Cymbrica Chersonesus
Excipit, & Patriæ reddit, Charisq; propinquis,
Post ubi mortalis defuncto munere vitæ
Carolus acer Auo sucsefferat, hunc quoq; dulcis
Impulsus patriæ precibus de more salutans
Indomitos adij populos & ditia Regna
Hesperia, Reducem dein Ferdinandus ab aulæ
Consilij statuit, latè quo regna tenente
Arctoos iterum reges, Populosq; reuisi,
Hinc mihi pro meritis, serisq; Nepotibus auctum
Libertate decus, quod nulla aboleuerit ætas.
Ast postquam inuasit Solymanus moenia Budæ,
Accensum Furijs, vim perniciemq; minantem
Pannoniæ, Orator compressi: diraq; retro
A nostris suasi iugulis auertere tela.
His nunc defunctus curis, post fata quiete

Sopitus

Sopirus placida, iusti dum Buccina somnum

Iudicis excutiat dormiscam, viue Viator

Exemploq; meo patriæ seruire memento.

Iohan. Rosinus.

I D E M.

QVos adij populos, quæ regna potentia vidi
Exposui lustranda oculis, non iudicis æqui
Examem metuo, moueor nec bile maligni
Robore vera suo stant inconuulsa vigentq;.

Ioh. Rosinus.

Non moror hanc Christo repetenti reddere vitam,
Et vixisse mihi satis, & vidisse superq; est
Tot Maria, & Montes, tot Flumina totq; Paludes,
Tot Reges, Dominosq; orbis, tot Regna, tot Vrbes,
Nam Mare conscendi, supra, quodq; aluit infra
Italiam, remis hinc præterfectus & illinc,
Baltheaq; emensus freta, mox Balearica soluens
Sardinia ingredior, gelidiq; Boristhenis oras,
Rhaq; cauas tacito stringentem flumine ripas
Traieci, Tanaisq; supra caput vsq; niuosi,
Nusquam Riphæos didici consistere montes,
Iamq; Albim & Rhenum, fluuiumq; binominis Istri
Nauigijs superans, Legati munus obiui.
Atq; Sigismundum moderantem iure Polonos,
Lithuanixq; Ducem mos est quem dicere Magnum
Sæpe salutavi verbis & nomine Regis
Ferdnandi, & toto diuisos orbe Mosynos
Non semel atq; iterum magnis de rebus adiui,
Moscouiaq; Ducem magnum sum affatus in vrbe
Basilium, hinc Danis, Noruegis, atq; Suedis
Imperitantem adij Christernum, non satis æquo
Disidio, sancti turbantem fœdera lecti,
Liberius monui infami desistere cepto,
Hæc mandata ferens à Cæsare Maximiliano.
Ipsam etiam Hungariæ regem, Dominumq; Bohœmis,
Luduicum accessi. Regno, & florentibus annis.

Iam vero multis locuples Hispania regnis

Cognita, & Hispanis non cedens Belgica regnis,

H 2

Carolo

Carolo vbi, Austriacam regionem, nomine Quinto
 Ceu pauris orbatam interitu commendo Pupillam,
 Præterea Decimum Romana in sede Leonem
 Conspexi, Veneti Dux Lauredane Senatus
 Cognite porro mihi es, notiq; fuere Dynastæ
 Imperij plures, quos hic numerare molestum est.
 Ecce autem Hungaricis vbi rursus imminet oris
 Et nostros misera Solymanus clade peremit,
 Nequicquam longa Budam obsidione prementes,
 Ipsius horrida subnixi sede Tyranni,
 Altius erectæ fixi stans oscula dextræ,
 Quam prona in terram melior pars orbis adorat,
 Principis inde mei Gnatam, deduco Polonos
 Reginam in regis thalamos, belliq; togæq;
 Expertus casus varios hæc inter, & olim
 Militiæ emeritus veterana stipendia, iuui
 Consilio interea innocui compendia Fisci,
 Linguarumq; potens, in iura ac fœdera fidum
 Præsto ministerium studioq; senesco laborum,
 Publica priuatis præponens commoda lucris,
 Respondente tamen fidei Sorte, atq; fauore
 Austriadum regum, domui rem linquo, decusq;
 Et prisca generis stemma haud inglorius orno.
 Vitæ igitur plenus, quam sum mihi conscius actam
 Gnauiter in vitæ officijs, sine labe notaq;
 E magno veluti satur, expletusq; teatro,
 Cedo lubens, & nostra do lampada gesta sequenti.

Ioh. Lud. Brasicanus.

Occasus mediussq; dies septentrio & ortus
 Sunt peregrata solo, sunt peregrata salo,
 Principibus mandata fero dum maxima regum
 Vectus equo Rheda siue rota atq; rate.
 Luduicum ad Regem misso, Solumumq; Tyrannum
 Est emensa rota, Pannonia, atq; rate.
 Cæsaris orator ad regem, Maxmiliani
 In Daniam celeri sum quoq; vectus equo.
 Austriacæ misso regionis per mare sæuum
 Hesperix mihi sunt regna petita rate.
 Sauromatas eadem vexit me Rheda ad vtrosq;
 Per niue conspersas inuiolata vias.

Ioh. Lud. Brasicanus.

Titidem

Titidem socium coniungit homerus Vlissi
Nempe manum menti, nempe animum gladio
Aurea Nobilitas nitidum tibi porrigit enssem
Doctrina ac certam monstrat vbiq; viam.

Ioh. Alex. Brasicanus;

Sigismundum varias mundi rapuere per oras
Terra: Rates: Vndæ: Nix: Traha: Currus: Equi.
Georg. Logus.

SIC vehor: ampla gerens Regum mandata meorum,
Ad Danos: Moscos: Pannonas: Hesperios.

Cæsariorator, Danos peto, dicere regi
Iussus, vt arcta thori fœdera rite colat.

Ad Moscos propero: Pacemq; reporto Polonis

Cæsariorator: & fratrum Cæsarioratorum auspicijs,

Nauibus Italia soluens peto littus Iberum

Hic patriæ officium Carole præsto tibi.

Pannoniæ regi & mutata sorte Tyranno

Victori: Regis perfero iussa mei.

Sic ego: dum regum perago mandata: Mosynos

Hispanos, Danos: Pannoniosq; peto.

Georgius Vernerus.

AMPLISSIMI VIRI

DOMINI SIGISMUNDI AB HERBER-

stain &c. Epitaphium carmine Iambico.

ROgas Viator? hic Sepultus quis cubas
Sigismundus ille ab Herberstain Baro

Noſti ne, cuius insignis & inclyta

Virtus per omnium Ora Principum volat

Quem Cæsar auxit. & rex Equeſtri annulo

Ineuntis olim sub flore adoleſcentiæ

Senatuq; mox adſcripſit aulico

Additus ſuiſq; primus hic honoribus

Factus hinc inde adobrutus negocijs

Legationibus vacans grauiſſimis

Gallos Iberosq; Belgosq; Dalmatas

Moscosq; Sarmatasq; Pannonas: Danos

H 3 Adijt,

Adijt, Italolq; nationes plurimas
Quas referre hic maximus foret labor
Meritis tamen pro tantis & laboribus
Donata libertas sibi & suis Nepotibus
Est liberalitate Regis Optimi
Vale Viator, hæc volebam ne esses nescius.

Addã huic Epitaphio altera duo Heroica & Elegiaco versu perscripta
interim Amplitudo vestra hoc quale quale est æqui boni facere dignetur.

CLARISSIMI EQVI-
TIS AVRATI DOMINI SIGISMUNDI LI-
beri Domini ab Herberstain Consiliarij &c. Inclyti Romanorum
Hungariæ & Bohemiæ &c. Regis Ferdinandi
Epitaphium.

HOS qui miraris titulos & Signa viator
Cuius & hoc quæris marmore membra cubent,
Siste gradum, pau cis disces, Heroica virtus
Hoc sibi construxit nobilitatis opus.
Hac etenim Sigismundi Equitis cognomen acerbum
Cui tribuit Saxum corpora mole iacent
Ædidit infantem hunc quondam genitale vipacum
Qua rigat Alma suis arua Timauus aquis.
Ille vbi pubentem felix excessit Ephebim
Robore iam factus maior & ingenio.
Fortiter in Venetas acies inuectus: Equestres
Fasces & Torquem præmia digna tulit.
Cæsaris hinc animo præstans accitus in Aulam
Additus est numero non sine laude patrum.
Hic quum solerti res magnas pectore tractat,
Atq; agit munus strenuus ipse suum.
Orator varias Regum legatur ad Aulas
Vt curet Domini, grandia iussa sui
Pannoniæ regem, Danum Moscumq;, Polonum
Legatus mira cum grauitate adijt
Transiuit Rhenum, tractusq; Binominis Istri
Et quicquid terræ Vistula & Albis habent
Atq; adijt Tanais, rapidiq; Boristhenis arua
Et vada Rubonis non inamæna vagi
Accessit volham, quem Rhas dixere vetusti
Et varios populos vidit in orbe novos

Dumq;

Dumq; graues forti dexter sic pectore causas
 Exequitur, Mortem Maximilianus obit
 Cui Cæsar Regni succelsit Carolus heres
 Carolus Aufriadum gloria summa domus
 Illum etiam precibus patriæ & permotus amore
 Accedens, solito more salutat herum
 At reducem Hesperia Rex Ferdinandus ab Aula
 Mox à Consilijs deligit esse sibi
 Quo rursum ingenti foeliciter auctus honore
 Impiger officium præstitit ipse suum
 Denuo ad Hungariæ regem, Regemq; Polonum
 Ad Moscum, atq; alios mittitur ad populos
 Sic rebus semper grauibus præfectus agendis
 Omnia cum summa conficit vsq; fide
 Hoc libertatem studio nomenq; perhenne
 Nunquam Casurum promeruitq; decus
 Ecce vides triplicem galeam, triplicemq; coronam
 Ensem, Tela, Arcum, Sceptra quaterna traham
 Omnia virtutis quæ sunt monumenta Beatæ
 Pignora & æternos non moritura dies
 Sola virum bene vixisse hæc testatur, inique
 Cætera parcarum deripuere manus
 Ossa tegit lapis hic diuus repetiuit olympum
 Spiritus, æthereis perfruiturq; bonis.

ALIVD.

Ista Sigismundi durum cognomina Saxum
 Cui dedit inclusum Marmore corpus habet
 Illius ac superum conscendit spiritus Axem
 Perpetuo in terris, fama decusq; manent.

ALIVD.

Mole Sigismundum non crede iacere sub ista
 Æternum petijt, venerat vnde polum
 Illius æternum dominatur gloria terris
 Hunc tumulus præter contegit ossa nihil.

Valentinus Eckhius.

DE

DE MONUMENTO MAGNIFICI DOMINI SIGISMUNDI LIBERI

Baronis in Herberstain Neyperg & Guttenhag &c.

Consiliarij Regij ipso viuente posito.

Fama & Viator colloquuntur.

HOc ne Sigismundus ab amara rupe sepulchrum **V**
Nominibus magnis orbi celeberrimus heros
Hæc sibi constituit viuens? **F.** sic est **V.** mihi causam
Dic rogo quæ fuerit? **F.** mors virtus posteritas. &
Post hæc certa fides melioris tempora vitæ
Cur mors causa, viro forti viridisq; senectæ. **V**
Est sapientis opus, mortalem quod meminit se **F**
Virtus? posteritas? **F.** virtus post fata nitescit, **V**
Exemploq; bono ad bona ducit posteritatem
Altera vita **F.** viri pietas sic credit **IESV.** **V**
Perpetuæ nobis spondenti munera vitæ
Ergo diu uiuat pius & clarissimus heros **V**
Magnorum & post tot bene gesta negotia Regum
Respiret tandem, captans cum laude quietem
Dulciter optato & requiescant ossa sepulchro
Clara redemptoris dum nos tuba surgere clamet
Coelicolumq; choro meritis donemur **IESV.**
FIAT & virtutem imitentur poster.

Andreas Bonerus Polonus.

Ad Generosum ac Strenuum

EQVITEM AVRATVM DOMINVM SIGISMVNDVM
ab Herberstain Srenissimi Domini, Domini Ferdinandi Regis Hungariæ & Bohe-
miæ Oratorem ad Poloniam M. Wolfgangi Guglinger Epigramma &c.

PRecipuum Sigismunde decus pietatis & ingens
Virtutis lumen conspicuumq; iubar
Et sacer Aonidum fautor, regumq; Pericles
Atq; tuæ illustris gloria summa domus
Hoc precor exiguum ridenti suscipe munus
Vultu, nec sterilis Spernito farra soli
Nam si non sordent isthæc maiora dabuntur
In famæ laudem mox monumenta tuæ.

SYMBO-

SYMBOLVM FIDEI NOSTRÆ.

IN Deum credo placidum parentem
Omnium rerum, rapidiq; Cœli
Et Creatorem maris atq; terræ

Omnipotentem.

Qui suum nobis tribuit benigne
Filium nostrum Dominum potentem
Et Deum veramq; hominum salutem

Nomine Christum.

Iste de casta Genetrice natus
Corporis mortem tulerat cruentam
Tertio Phœbo rediens sepultis

Victor ab oris.

Regna post celsi repetens olympi
Patris ad Dextram residet coruscans
Vnde defunctis venietq; viuis

Arbiter æquus.

Mittit & Sanctum soboli perunctæ
Spiritus magnum volitans per orbem
Qui vocat verbi populos in vnum

Munere Cærum.

Et diem monstrat trepidum tonantis
Per fidem, tristeis tumulos recludens
Quæ sepulcorum referet perempta

Corpora vitæ.

Post polo iustos homines locabit
Hic vbi viuunt peritura nunquam
Secta gaudentes, stygium malos sed

mittet ad orcum.

AD EVNDEM DOMINVM

SIGISMVNÐVM.

Virtutes laudesq; tuas fortissime cultor
Iusticiæ, summo vulgi quæ crescere plausu
Liuoris minui nigro nec dente furentis
Possunt si Sigismunde velit quis carmen in vnum
Cogere vel calamo depingere maxima paruo
Facta domus patriæ, Gallorum promptius idem
Piscoso Rhodano fuscum coniunget Hydaspem
Alpibus aut magno imponet cum pondere Taurum
Adnitar tamen, atq; olim rerum ordine pandam.

I Tantarum

Tantarum partem, modo tu tunc comprecor ausis
Adsis Calliope, monstresq; exordia vati.

DOMVS AD EVNDEM.

Occuper vt corpus Sigismunde locum tua sic si
Splendescens virtus, mox sine rumpar ope.

EQVVS.

Avdacter conscende meum fortissime victor
Dorsum subuertens Castra nefanda lupi.

BALISTA.

HOC heros feriam quodcunq; minabere semper
Ornaboq; tuum fronde virente caput.

LECTICA.

VT vitro totum in paruo depinxerat orbem
Arte Syracusius nec sine laude senex.
Vtq; calix quondam vatem occultauit Homerum
Sic seruo ingentem lectulus ipse virum.

EPITAPHIVM STEPHANI Comitis Zepusienfis.

IAM iam Terrigenæ virēs extendite vestras
Tollite Phocaicos magno cum pondere montes
Obruite atq; istos tumulos Zepusia pestis
Ne surgens iterum nostras contaminet oras.

IN LVCRONEM.

HIC Lurco letos celsis cum sedibus agros
Parta labore graui regna paterna vorat.
Atq; reor summo genitus Ioue si foret ipsum
Sub Cœlo cœlos perdere posse suo

HOS mentis cum celsa legent tua lumina versus
Tunc quoq; non pigeat te meminisse mei.

GENETHLIACON,

SEV DIES NATALITIVS SALVATO-
ris nostri IESV Christi, Ad Magnificum Dominum ac stre-
nuum virum Sigismundum ab Herberstain
Equitem Auratum &c.

REbus Heroum satis o superq;
Nota iam pridem lyra concinandis
Debitos Mundi Domino Deoq;

Profer honores.

Profer indicto sed enim nec vnquam
Plectra detrito per eburna cantu
Hic suas promant agedum vsus arsq;

Condita vires.

O diem letum niueisq; semper
Calculis nostro generi notandum
Rite flagranti o studioq; & omni

Laude ferendum.

Quo patris sermoq; opifexq; rerum
Prodit innuptæ ex vtero puellæ
Et sub Humanę Deus oblitescit

Tegmine formæ.

Ante Saturnum gelidus December
Vt memor moris coluit vetusti
Turba cum exutis famularis egit

Libera vincis.

Iure nunc festus potiore Christum
Vt recens natu veneretur, & nos
Iam manu missi celebremus ipsos

Vindictis ortus.

Ergo mortales miseratus ægros
Ac iugo pressos stygij Tyranni
Vagijit cunis neq; matris aluum

Horruit ipse.

Qui serenato residens in orbe
Ætheris puri sibi seruientes
Despicit stellas iacit & tremenda

Fulmina dextra.

Bruta cui tellus genus omne frugum
Educat: sese varioq; florum

I 2 Pingit

Pingit ornatu fouer & minantes

Montibus ornos.

Cui suos crispas Maris vnda fluctus
Squameos profert eademq; pisces
Flant procellosi, placidiue ponunt

Murmure venti.

Quid quod angustis tuguri ruinis
Viliter nasci tulit & reponi
Veste non Serum Tyriaue opertis

Murice lectis.

Sed super foeno stipuloq; agresti
Vt suis iam tum daret insueta
Prorsus exempla & nimios doceret

Temnere fastus.

Algidum & panno tenui inuolutum
Sedulo agnoscunt pia bruta foru
Integer consors genitrixq; tanti

Conscia alumni.

Gestiunt circum chorus angelorum
Adstat : & dulces modulantur hymnos
Noctis obscuras mediæ tenebras

Lux noua pellit.

Quin & arguta superum vocati
Voce festinant Ouium magistri
Inq; Præsepys medio locatum

Numen adorant.

Tres quoq; eoa regione visunt
Hunc magi stella duce, Supplicesq;
Offerunt aurum, liquidamq; Myrham, &

Thurea dona.

Hunc cani solum decet & referri
Versibus nostris Lyra, quod salutem
Perditis solus melioraq; orbi

Fata reuexit.

Quod sibi non est aliunde quisquam
Speret huic soli pater omne regnum
Tradidit, parent reliqui & regentis

Iussa facessunt.

Ioh: Lucius Brass: Wir-
tembergius.

Henrici

Henrici Loreti Glareani in octa-

VVM Q. CVRCII LIBRVM, ANNOTATIONES BRAC-
TIANOS Tanais ab Scythis quos Europeos vocant.

Quod antea bis admonuimus, Alexandrum ac suos Macedonas, Iaxarten nominasse Tanain, hoc loco etiam, credidisse, eo plane conuincitur, quum addat Europeos. Item, quod Asiam ac Europam interfluat. Deniq; quod Scytharum gens haud procul Thracia sita sit. De Scythis igitur loquitur, quemadmodum Herodotus: nempe de Sarmatis vtriusq; in Europa ac Asia, ad Ptolomei descriptionē. Quæ nationes hodie Moschouitarum regnum maximum faciunt, cuius Princeps Moschouix magnus Dux nominatur. De quibus regionibus, nostra ætate inclytus ille vir, D. Sigismundus in Herberstain, Neyperg & Guttenhag Baro, inuiciss. Cæs. Ferdinandi Consiliarius, fisci in Austria præfatus, duo iusta volumina ædedit, plena omnis eruditionis: dignissimum opus lectu: quod omnes, qui Geographica amant, amplectantur: multum lucis accepturi plurimorum cum latinis, tum in Græcis authoribus locorum, antea à nemine recte traditorum. Oculatus hic testis, non auritus tantum, hæc scriptis prodidit, certa, non vana relatione. Quippe missus Legatus à duobus Imperatoribus diuo Maximiliano ac Carolo Quinto, iploq; Cæsare Ferdinando ad magnum illum Ducem Moscouiæ, Hæc ego, optime Lector, haud vilo alio Zelo motus, quam ingenti veritatis amore de illo Generoso viro, scribo: neq; enim eum vnq; vidi. Sed eius opera tanto ardore, tanta animi mei admiratione legi, vt multis annis nihil æque lubenter. Et confiteor me multum inde fructus hausisse Quando ex eis plane videam, veteres de his rebus ita cæcutisse, vt Cimmerias tenebras nobis offudisse merito videri queant. Idem laudis tribuo Eximio viro Olao Magno Gottho, Sanctissimi viri Ioannis Magni Gotthi, Archiepiscopi Vpsaliæ in Suetia fratri: cuius opera omnium Regnorum Scandinaviæ picturam vidimus admirabilem, omnium doctorum virorum præconio celebrandam. Sed ad negotium nostrum redeundum est nobis &c.

IN MOSCOVIAM DOMINI SIGISMVNDI LI-
beri Baronis in Herberstain Neyperg & Guttenhag &c.

Non se cuncta sagax credat didicisse vetustas,
Sunt quæ nostra dabunt tempora iure sibi.

En quæ ignota fuit priscis Moscouia nunc est
Sigismundi impensis cognita, Lector habe.

Caspar Pecius Transsylvanus.

I 3 Dum

DVm lego Moscouiam Sigsmundi, quem colit alta
Austria, prorupit mox mea Musa canens.
Discite Magnates preclarè ducere vitam,
Linquere virtutis sic monumenta decet.
Aspicite exemplum Romanæ laudis amænum,
Gratior est doctæ Nobilitatis honos.

Stanislaus Aychlerus ex temp: S:

SIGISMUNDO LIBERO

Baroni in Herberstain &c.

ARmis Tydiden, Legati munere Vlysssem
Cordatisq; senem Nestora consilijs
Heroas inter, Troiani tempore belli
Præcipuos habuit Græcia culta duces.
At Sigismundus nostro Herberstainius æuo
Vnus Cæsaribus præstitit ista tribus.
Austria continua serie quos protulit orbi
Principibus, felix Austria nostra bonis
Æmiljs Carolis, Ferdinandisq; Sacratis
(Non bene versiculus nomina tanta capit)
His Sigismundus curamq; fidemq; probauit
Armis Legati munere, consilijs,
Restat iam regum regis vt signa sequatur
Militiæq; ferat premia digna suæ
Vnus qui noster Tydides, noster Vlysses
Nelides noster triplice laude fuit.

Ioh: Langus D.

MAGNIFICENTISSIME

DOMINE.

Genealogiam suarum Maiestratum & itinerarium, vna cum cæteris,
quæ ad me misisti, reddidit mihi Dominus Petrus Lassus, quæ fuerunt
longe gratissima non eo solū nomine quod ego huiusmodi rebus mirum
in modum soleam delectari, sed quod tua etiam manu sunt scripta, Nec
minus mihi gratū, iucundūq; illud accidit, qd' me tuis verbis magnopere
ornasti in ijs literis quas ad D. Petrū Lassum dedisti, Quæ oīa ita me tibi
imprimis, deuinexrūt, vt nihil magis optē, atq; eiusmodi occasionē nobis
affulgere, qua nostrū erga te animū possim' p' nostra tenuitate declarare.

Id ita

Ad ita esse tibi vt persuadeas te etiam atq; etiam rogo, polliceorq; nihil vnquam fore, in quo possim tibi, tuisq; tum familiaribus tum amicis placere, ac gratum facere, quod non sim incredibili alacritate, animiq; studio factururus, Quo circa te vehementer rogo vt id si accidat velis de eo ad me scribere, ad Cæsareæ Maiestatis comitatum, aut vbiq; sim terrarum nam in magna foelicitatis meæ parte reponerem, eiusmodi oportunitatem nobis dari, qua me grato esse hominem animo tibi posset re ipsa constare Cū multæ enim essent causæ propter quas ad istam urbem cupiebam venire, tum illa profecto erat potissima, quod te in ea esse intellexeram, ex quo & vberimos singularis eruditionis fructus me percepturū sciebam, & sperabam in primis futurum vt ex te cognoscerem, quænam gentes incolant eam partem, quæ in Polonia, & Moschouia superior est ad mare Austricum, & quis sit earum regionum situs ac natura, ac quorum fructuum feracitate sint insignes, qui præterea sint ritus ac mores illarum nationum, à quibus habitantur, & quo nauigationis genere soleant vti? Quæ omnia cum mihi plane sint ignota, magni profecto beneficij loco ducam, si quæcunq; de ijs certa esse putaueris, ad me tuis literis perscripseris. Christus tuam magnificentis. Personam incolumen seruet, tuq; omnia bene fortunet ad suum sanctum obsequium. Datum Lyntij XII. Calend: May M. D. LII.

Osculatur manus tuas
tuus Seruitor.

Episcopus Palentinus
Comes.

AD ILLVSTREM CLARRISSIMVMQVE VIRVM DOMI: SIGISMVNDUM liberum Baronem in Herberstain, Equitem auratum regie Maiest: Consil. & ad Polonos atq; Moscouitas Oratorem.

MVsa peregrinas cum desolata per oras
Oppida visura incedis variosq; Colonos
Ac hominum mores: fluuio deuecta secundo
Magnificas obiter cum carmine adire memento
Insignesq; viros & qui virtute corusca
Præfulgent superantq; animis Ignobile vulgus
Hos inter vix vllus erit preclarior Heros
Musa Sigismundo eximio claroq; Barone
Herberstaino, Illustri de stemate nato
Atq; equite aurato, sibi quem in secreta vocandum
Regia maiestas: Oratoremq; perennem

Censuit,

Censuit, & vasti commisso munere mundi
Ad varios semper quem miteret vndiq; reges
Serior hunc adeas, parco & sermone moreris
Sobria : & vt limen referatum intraueris ipsum
Carmina tunc illi numeris hæc condita parcens
Obiter, & vultu vt (quamuis indigna) sereno
Acceptare velit, submissa ac prona rogato :

Mameranus Lucenburense

GENEROSISSIMO

BARONI DOMINO SIGISMUNDO AB

Herberstain, Neyperg & Guttentag &c. fisci Austriaci Præfesto & Re:
giæ Maiesta: Rom: Hung: Bohemiæ &c. Consiliario.

Caspar Betius Transiluanus.

Vetus dictum est, quam quisq; nactus est Spartam hanc ornet. Et
Statonicus citharedus ad eum qui de arte musica, cum antea holitor fuisset,
liberius contenderet, eam vnusquisq; exerceat, inquit, artem in qua
sit versatus. Neq; enim quisquam eam exercet artem bene, in qua non aliquid
temporis consumpserit. Ac meo iudicio non solum de artibus hoc, verum etiam
de quouis vitæ genere rectè dici potest. Quis enim vnquam vidit hominem
omnino agriculturæ deditum rectè de munij publicis disputantem? Aut quomodo
muneribus publicis assuetus, & aulicis occupationibus deditus agros exercebit?
Solet enim cõsuetudo abire in naturam, vt, ea quæ præter solitū facias contra
omnem naturam admittere videare. Non satis rectè igitur ago qui præter
institutum meum versus facio. Quæ est enim studiorum meorum pars in
conscribendis carminibus mihi consumpta? Alia scilicet studiorum meorum
ratio, alia ingenij excolendi arena fuit. Quid facerem? Crebra infortunia
quibus per hos dies conflictatus sum, cum me vexarent præter omnem modum,
Et vix vllum respirandi darent locum, otium tamen concedebant sed tale
quod merores meos tolleret minime, Sed augetur potius, præsertim cum
omni recreatione literaria esset vacuum. Hoc me delitare, id est versus
facere coegit. Cur dico versus & non potius scopas dissolutas? quid enim
habent qd' arti merito respondeat? aut vbi sunt diuini illi furores sine
quibus laude digna carmina nemo facit? Ac tibi, tibi inquã Baro ornatissime
tuisq; auribus hæc lusimus non alijs, nam alij facile illud Horatianum
obiecerint, Mediocribus esse poetis non homines, non dij, non concessere
columnæ. Accipe itaq; deliramenta hæc Baro generosissime & boni
consule, non quod in officina sit nata poetica sed quia præ se ferunt
mittentis erga te animum : mittentis inquam qui te tuamq; dignitatē
crescere, magnifieri, coli ab omnibus cupit.

Quod si

Quod si male quid locatum inueneris, aut errore aliquo factum in mentem veniat, holitorem non poetam hæc tibi dare, cuius non omnino proprium est *ἀέλκαστα καίριον εἶναι* Benignus rerum omnium parens seruet te Baro amplissime multis annis saluum atq; incolumem.

Gratz XVI. Decembris

M. D. LII.

Summus Pontifex de BELLO GALLICO.

EST nostrum fateor sanctas conscribere leges
Perpetuæ fontem pacis & esse meum est.
Sunt nostra hæc fateor, sed Petrus bella gerebat
Cum Malchi ferro scinderet auriculam
Sic liceat nobis nonnunquam bella ciere
Et nostris curas gignere Cæsaribus.

PRINCEPS HISPANIÆ.

ERgo licet nostros Gallo tentare penates?
Ergo licet nostro bella parare patri?
O pietas, o sancta fides ne desere nostros
Conatus, patri si meditamur opem.

REX ANGLIÆ.

Bella gerant alij: nostra ætas abstinet armis
Et cædit nostri Cæsaris imperio.

POLONVS.

DVm fauet alma Venus nobis & gaudia præbet
Sit primus nobis linqvere bella labor.
Nec fas ingentem est aquilam contemnere cuiquam
Sæpe lacessitam sensimus esse grauem.

K GALLVS.

AT nos Imperij sacro vexamur amore
 Nec satis est gallis imperitare meis
 Imperij causa nil non tentare decorum est:
 Et dare vel vitam fortis in arbitrium.

Cæsar Carolus Romanoꝝ

NORVM IMPERATOR.

FAra mihi titulos non fors, nomenq; dedere
 Cæsaris & regni iusq; decusq; mei.
 Quisquis erit nostros igitur qui carpet honores
 Aut vires cupiet sollicitasse meas:
 Non bellum nobis, dijs immortalibus infert:
 Nec nobis sed dijs sic inimicus erit
 Quæis me armet nostro centum sunt arma tonanti
 Vt seruet titulos imperiumq; meum.
 Quæis perdat nostro centum sunt arma tonanti
 Hostes galle meos, perfide galle meos.

Respublica Christiana ad

AVGVSTISSIMVM ROMANORVM

Cæsarem Carolum Quintum.

CVrarum fontes quibus hæc obnoxia vita est,
 Successusq; graues, cunctaq; damna simul.
 Tollere non hominis non est rationis & artis
 Tollere Regnator Iupiter ista solet.
 Sic ea quæ nobis natura dedisse videtur
 Commoda (non dubium est) Iupiter ipse dedit
 Sint igitur rerum fines & maxima lex hæc
 Ad summum Cæsar cuncta referre Iouem
 Hic dederat nuper stulto vexare Tyranno
 Flamma armisq; tuos innumerisq; malis.
 Iam dabit vt vincas felix & magnus ubiq;
 Hostes sollicites, Imperioq; premas.

Ad Cæsa-

Ad Cæsarem Ferdinand-

DVM SEMPER AVGVSTVM.

CVm te sollicitant querulis tua turba libellis
Quis te mutatum dicere iure potest?
Est eadem facies color idem est bella gerenti
Vnus & in sacris cursus & ordo tibi est
Dum condis leges sanctis quas moribus ornas
Et similis Cæsar moribus vsq; tibi
Di faxint mores & formæ gloria Cæsar
Et bona quæ tua sunt, sint diuturna tibi.

DE VRO ET BISONTE.

Obtinuit vascos olim Germania saltus
Sueta vagas Scythico ducere more domos
Nullus erat Ciuis, nec in vllis vrbibus hospes
Dum pagos tantum vix colit illa breueis.
Tum secuta per hoc, vacuis animalia syluis
Degebat varijs cognita nominibus.
E quibus arctoi tolerantia frigora cœli.
Plurima Sarmaticis nunc stabulantur agris,
Namq; vbi Romanæ gens Teutona munere pacis
Vrbes & leges cepit habere suas.
Iamq; hominum turba gliscente & coetibus auctis
Exiit antiquam copia barbariem.
Ipsas hinc etiam numerosa frequentia sylvas
Occupat, & spacio liberiore potens
Vrbibus & pagis conturbat lustra ferarum
Ad gelidum Boream perfuga turba migrat.
Hinc Asini atq; Boues & Equi visuntur agrestes,
Hic Alcem atq; Onagros est reperire vagos.
In quibus ante alios Bouis instar cernitur Vrus,
Et notus sua per colla iubata Bifons.
Quorum postremi duo, falso nomine vulgo
Quiq; Bifons fertur, verior Vrus erat.
Sustulit errorem hunc prior Herberstainius Heros,
Dum coram hos oculis spectat vtrosq; suis

K 2 Lumine

Lumine nec proprio contentus teste, duorum
Exuuias patrios collocat ante lares.
Vnde fidem veri spectator quisq; capeſſat,
Namq; & tergoribus cornua iuncta patent
Cum pedibus, verum quia pectore vaſtior Vrus,
Noſcitur, oſtentant te tua membra Biſons.
Sic cuius dono Scythicas cognoſcimus oras
Et mores hominum quos tenet vrſa procul.
Enodem ingenio, tantoq; Autore, ferarum
Corporibus tandem nomina vera damus.

Magnifico & Generoſo

DOMINO D. SIGISMUNDO LIBERO BARONI IN
Herberſtain, Neyperg ac Guttenhag, Sa: Regiæ Maieſtatis
Conſiliario, ac Ærarij Auſtriæ præfecto &c. Do-
mino ſuo & ſtudiorum Mecœnati
ſummo S. D.

CLare vir Aonijs multum celebrate Camæniſ
Ingens Auſtriaci ſplendor honorq; ſoli.
Qui multos alios generoſo ſtemmate claros,
Virtute excellis nobilitate grauis.
Maxima quod dulces (ſi quando negotia Regiſ
Permittunt) Muſas ſit tua cura ſequi.
Ergo ſi nulla curarum mole grauaris
Et ſi forte potes, hæc mea ſcripta legas.
Annua natalis redeunt dum tempora **CHRISTI**
In quibus è pura virgine natus homo eſt.
Ipſe tibi dico veteri pro more ſalutem.
Ex noſtroq; penu munera parua fero.
Eximium Moſis carmen multumq; probatum,
Quod certis retulit noſtra Thalæia modis.
Hoc cum magna piæ præſtet ſolatia menti
Dum docet ex vero fidere corde Deo.
Nec non vt ſanctos Dominus tueatur in orbe
Vt pacti ſoleat foederis eſſe memor.
Demonſtrat pœnas & præmia digna Tyranniſ
Quamq; ruat varijs turba maligna modis

Suſcipias

Suspicias igitur placido pia carmina vultu
Quamuis sint humili verba ligata stylo.
Et simul affer opem speretis hoc tempore Musis
Has quacunq; potes parte iuuare iuua.
Si mihi post faciles fuerint in carmina Diuæ,
Te magis oblato tempore digna feram.
Quod superest multos valeas foeliciter annos,
Atq; tuam famam sæcula multa sciant.

Tuæ Generosæ
Magnificentiæ

Deditis.

M. Hieronymus Lau-
terbachius Lobauiensis.

ARGVMENTVM Cantici.

CVM quondam rapidis Pharao submersus in vndis
(Tunc vbi, Iudæos persequeretur) erat.
Lætificum populus carmen cum Mose canebat,
Astrigere celebrans facta stupenda Dei.
Et laudans Dominum propter miracula rerum
Propter & emeritis funera digna viris.

CANTICVM MOSE EXODI XV.

Tunc cecinit Moises & filij .

ISRAEL CARMEN HOC DOMINO ET DIXE-
runt. Cantemus Domino &c.

HÆC est illa Dies coetus clarissime Diuûm
Israël summi maxima cura Dei.

K 3 Qua

Qua pelagi rubri Pharao submersus in vndis,
Mancipium stygijs contigit esse Dijs.
Quid tandem Iuvenes? vos innuptæq; puellæ
Et vos qui geritis tempora multa senes.
Pro tantis meritis propter victricia signa
Conuenit vt Domino iubila grata canant?
Ergo dulcifono meditemur carmina plausu
Dicamus gratum voce sonante melos.
Magnus enim Dominus dispersit robore gentes
Memphæos tumidis præcipitando vadis.
Ille salus nostra est, laus, gloria, robur & ingens
Carminibus nostrum concelebrare Deum.
Militiæ Dominus verè est fortissimus heros
Cuius & omnipotens nomen in orbe viget.
Disiecit rapidas currus Pharaonis in vndas
Atq; necaturis obruit agmen aquis.
Ægypti proceres Regis delecta iuuentus
Concidit in rubeo disperitura mari.
Absorpsitq; profunda Duces Pharaonis abyssus
Ceui lapidas immensas mergitur inter aquas
Hæc tua dextra Deus miranda operata per orbem
Vindice Niliaci te periere viri.
Concussit dirum tua magna potentia Regem
Hinc tibi perpetuo gloria summe Deus.
Tu veluti stipulas hostiles fundere turmas
Ausus, & ex illis quis super esse queat?
Spiritus ecce tuus fluctus diuisit aquarum
Nec non horrifoni, murmura vasta maris.
Israel, hostis ait, fastu spectabilis alto
Persequar, an quisquam qui neget istud erit?
Persequar & trepidos tandem populabimur hostes
Incidet in nostras præda petita manus.
Districto sanè mihi quilibet ense peribit
Disperdam cunctos efferus hostis ait.
Sic mea mens etenim præsentia gaudia habebit
Sic animo poterit læticiaq; frui.
Hæc dum molitur nostris ceruicibus hostis
Insidias varijs accumulando malis.
Compulit en Dominus collecto flumine pontum
Obruta quo citius turba maligna perit.

Ac veluti

Ac veluti plumbum merguntur in æquore cun&ti,
Cum redit in cursum pristina lympha suum.
Quis tibi summe Deus similis? quæ numina Diuum
Cuius in orbe Dei gloria tanta viget?
Quis virtute Deum superet, quis robore maior?
Quis quæso melior quem veneremur erit?
Tam tua dextra potens Deus est & robore tanto
Ut facile excutias martia tela viris.
Hæc modo Niligenas fato consumpsit acerbo
Quiq; Tyrannus erat maximus ille perit.
Sed Deus alme tuum populum cœtumq; piorum
Perpetuò feruans ad tua templa feres.
Gentis Idumææ stupuerunt pectore reges
Te duce sunt horum pectora plena metu.
Et populi Canaan Syrijs habitantibus oris
Defecere animis nempe furore tuo.
Irruat in gentes trepida formidine terror
O Deus immanes disijciasq; viros.
Saxosis similes nunc fiant rupibus omnes
Ceui lapides vno permaneantq; loco.
Donec Hebræa cohors promissos occupet agros
Quæ tibi de multis gentibus vna placet.
Te ductore tui veniant ad culmina montis,
Sunt vbi perpetuò templa beata Dei.
Rex Regum Dominus per sæcula cuncta manebis
Et tua maiestas florida semper erit.
Ingressus Pharaon multis cum curribus æquor,
Cæruleis perijt cum grege merfus aquis.
Et tamen Israël disiecta per æquora transit
Ac pedibus siccis exuperavit iter.
Nam tanquam muri diuisum constitit æquor
Dum mare Iudæis semita trita fuit.
Confidant Domino per singula tempora gentes
Qui Domino poterit fidere saluus erit.

AD MAGNI

AD MAGNIFICVM

DOMINVM SIGISMVNDVM AB HER-
berstain Liberum Baronem, Consiliarium & Ora-
torem Serenissimi Regis Ferdinandi &c.

Sebastianus Marscheuius.

SCilicet ipsa sui philtrum pulcherrima virtus
Eniter, atq; iubar, nullum non spargit ad axem,
Omnibus in terris, mirum, speciosa refulgens
Regnat & in nostros ius obtinet inclyta sensus.
Vnaq; cunctorum studia in se accendit, & omnes
Haud vinclis cogens, animorum foedere stringit.

Rege quid hoc melius, regno quid pulchrius isto?
Vel maius? quod toto haud circumscribitur orbe.

Sig; ad id accedit, (quod te feliciter vnum
Et dextro Sismunde Deo iunxisse videmus)

Et genus & suavis doctæ facundia linguæ.

Egregiaq; animi dotes, moresq; benigni,

Quid tibi ea emeruisse putas? quid posse negabis?

Hæc me vicerunt, vt te vir maxime adire

Fidenter vellem, Siquidem placuisse probatis

Ipse probo nimium, atq; vtinam vel id assequar vnum.

Quocirca peto, nec fas ista negare petenti

Dignare in numero me semper habere tuorum.

Meq; tibi comitem, si fas, per nota viarum

Esse iube, Latias cupientem visere terras.

Sic redeas felix, thalamos, aulamq; reuisas

Grataq; sic patriæ, & Domino mandata reportes.



SIGISMVNDVS LI-

BER BARO IN HERBERSTAIN NEYPERG
& Guetenhag, Ducatus Carinthiæ Supremus Hæreditarius
& Camerarius, & Dapifer: Serenissimi D. Domini Ferdi-
nandi Rom. Hungariæ & Bohemiæ Regis, Archiducis Au-
striæ: Ærarij Consilij præsidens. Excellentissimo Domino
Henrico Lorito Glareano Patricio Claronensi
Poetæ Laureato Amico suo S. D.



EX Ioanne Oporino Typographo Basilien: qui meam
Moscouiam iam denuo imprimebat, cognoui. Tibi meum
opus vsq; adeò placuisse, vt eius non solum in tuis præclaris
Lucubrationibus ac monumentis honestam mentionem fe-
ceris, verum etiam tua singulari authoritate atq; eiusdem cõ-
mendatione tantundem effecetis, vt alijs plurimis nunc pas-
sim & legatur & commendetur. Quo quidem nomine ma-
gno affitior gaudio, Laborem nimirum nostrum probari tibi
Viro, quem omnes docti non minimum cum doctrinæ tum
verò eloquentiæ principem nostro tempore per Germaniam,
agnoscant & obseruent. Porro & si nulla prorsus interceden-
te inter nos familiaritate aut quouis merito sed sola humani-
tatis ratione nostræ Moscouiæ cum summa laude memineris,
meq; tibi eo nomine multum debere fateor, & cum in præ-
sentiarum gratitudinem hanc aliter referre non possum: Ex-
istimabam tamen me tibi rem haud quaquam ingratham faciū-
rum, præsertim cum sciam te ardentissimo animo veritatem
hystoriarum nostri temporis amplecti & literis mandare. Si
ea quæ à quibusdam scriptoribus temere & falso in lucem pro-
diere, & quæ ego compertissima habeo, quæq; oblata occasio-
ne in publicum profero. Si ea ipsa vtcunq; vere tamen scripta
ad te transmitterem, vt haberes nimirum rem certam ac indu-
bitatam, quam in hystoriam, si quando hoc genus argumen-
ti tractaturus sis, referre atq; quodammodo inferere posses.

Fidelium Præceptorum monita, vt oracula obseruanda, re
ipsa comperi. Nam cum maiorum consilio & mea voluntate

L ad arma

ad arma me contuleram, fidelissimus Præceptor Magister Georgius Razenperger (quem ob eius bonitatem, fidelitatem, vitæq; integritatem ijs infero) me hortatus est, ne literas omnino postponerem, & vt saltem vnicam horam in die lectioni deputarem, id mihi profuturum pollicebatur, feci, aliquando legi Historias, præsertim, quas cū modernorum scriptorū percurrerem, reperio in certis multū à veritate aberrasse, forte ex nimio affectu, aut adulando, aut etiam vana relatione bonis viris detraxisse, alijs plus iusto tribuisse. Hinc duo mihi euenēre, alterum vt tanto minus veteribus credam. Simul cum ego in publicis diu versatus sum, posse quod alijs accidit, mihi contingere, & cum habeam causam quæ me quodammodo sollicitū facit. Volui viuens ad huc non mihi solum verum etiam veritati ipsi subuenire. Vir omni laude dignus Guilhelmus Baro de Rogendorff fidelissimus, constantissimusq;. Etsi sub Buda Generalis Dux exercitus Anno Domini M. D. XLII. calamitoso belli exitu, infœlitior factus erat, Is tamen antea nunquam dum Diuo Maximiliano & Carolo Imperatoribus in Italia & Hispanijs, atq; etiam Ferdinando Rom &c. Regi officia præstabat, vllius inconstantia aut infidelitatis insimulatus fuit. Quo nomine impius atq; crudelis videtur is, qui tantum virum, in extrema senectute constitutum, nihilq; magis cogitantem, quam vt honestam nominis sui existimationem, conseruaret, laudemq; rebus præclare gestis partam, apud omnem posteritatem retineret, tam horrendo proditionis crimine insimulare atq; iam mortuū turpiter traducere, inq; vulgus nescio quæ crimina de eo spargere ausus est. Quanquam quis miretur hæc nostro infelicissimo ac perditissimo seculo fieri, cum videmus Clarissimis Ducibus ab æterno fere fatale fuisse, vt in vltimo vitæ actu circumuenti inuidia, in minutaq; dignitate in ipso contumelia dolore vitam clauderent.

EQuidem hæc non ex aliquo singulari erga hunc virum affectu, scribo. Siquidem mihi, nec sanguine, nec affinitate iunctus erat, nec vlllo suo patrociniò, aut quouis auxilio dum viveret me, iuuit, haberem potius causam si quidquam eiusmodi in eo excessus reperissem aut scirem, grauius in eum inueniendi quam defendendi, cum eo tempore inter reliqua mala, duos summæ spei viros, nominis mei, alterum nepotem ex
amantissimo

amantissimo fratre germano amiferim, Sed sola instituti mei atq; adeò veritatis ratione impulsus, ea duntaxat, quæ ipse comperitissimum habeo scribo.

ET enim cum à Serenissimo Rom. rege mense Martio ad illum Budam obsidere tendentem missus fuisset, eum tum officium vigilantissimi Ducis prestare facile animaduerti. Dein rursus mense Augusto cum Cæsareæ Maiestatis Oratore Ioanne Thoma Pico Comite Mirandulæ, cum sub Budam venissemus, plenâq; mandata haberemus, cum illis, qui Budam tenebant, de conditionibus tractandi, & modo, quo Budam in manibus eorundem permaneret, & ne in manus infidelium perueniret, Sed hanc rem honestis rationibus transigendam ac constituendam, cum ab aduersarijs nec admisi, nec auditi, sed cum perniciæ totius Christianitatis exclusi seu repudiati fuisset. Castra tum diligenter perlustrantes atq; omnes conditiones Exercitus nostri considerantes, reperimus non proditione non minima cuiusquam malignitate, sed fatali quadam necessitate exercitum nostrum, in extremo versari periculo. Id quod statim post communi omnium malo experti sumus. Aduolante etenim potentissimo Christianorum hoste. Exercituq; nostro vtrinque oppugnato atq; profligato, Budam proh dolor, continuò in Turcarum manus peruenisse.

SIC quoq; de quibusdam personis Anno Dñi M. D. XLIII. à Turcis in arce Strigonien: obsessis multa contumeliosè dicta ac conficta sunt, ex quorum tamen numero, qui superstites sunt, honestissimorum ac strenuissimorum virorum officia regibus etiamnum præstare solent. Præcipuè autem Franciscus Salamanca qui speciatim nominatus est. Is hodie Serenissimo Rom. regi Domino meo Clementissimo non inter postremos seruit.

HÆC inquam me terrent, & admonent, vt quod illis accidit & mihi accidere posset. Siquidem à fide dignis atq; adeò principibus viris Polonis obiectum atq; quodammodo exprobratum sit, modernum nempe Moscorum principem ditigare, patrem suum à Diuo Maximiliano Imperatore, regis

L 2 titulum

titulum accepisse, atq; ob id à Poloniae rege eundem titulum vsq; adeò requirere, vt si ille sibi regium pariter titulum non tribuerit, nullas se pacis seu indutiarum conditiones cum eo initurum seu accepturum. Huiusmodi porrò Rhutenorum principi, Regis titulum ab Imperatore me Nuncio missum, mihi exprobabant. Idq; quasi in Polonorum præiudicium factum esse, reprehendebant.

Talia me non meo tantum sed longe magis pijsissimi Imperatoris Maximiliani nomine, commouent, atq; quodammodo perturbant, præsertim cum ea re tam pium, tamq; prudentem Principem iam olim vita defunctum, in odium hominum vocent. Ego verò cum hanc rem paulo exactius mecum reputo, non nisi à maleuolis commentam ac confictam existimo, qui Principibus meis odium concitare eosq; hoc nomine omnibus quodammodo exosos & suspectos reddere conantur. Quis autem vel mediocri Moscouiticarum rerum cognitione præditus, nescit? Basiliū sibi ipsi nomen regiū etiam antequam Maximilianus Imp. quicquam negotij cum eo haberet, vsurpasse, tituloq; Czar vsum fuisse, quæ quidem dictio regem non Imperatorem, vt sui falso interpretantur, significat, Præterea Maximilianum quo ad vixit, maiorem se nunquam recognouisse, in omnibus suis sermonibus & scriptis nomen suum Maxi: Imp. semper præposuisse, vnde manifestum euadit, Moscum à Max: quem se inferiorem putabat, & cui se in omnibus sermonibus & scriptis præferebat, authoritatem seu titulum haud quaquam aucupasse.

Certè si literas regis titulo, sibi inscriptas, ab Max: accepisset, habuisset de, Eas vtiq; Anno m. d. xxvi. quū nomine summi Pontificis, Episcopus Scaren: & Cæs. Maiestatis Caroli, &c. Comes Leonardus Nugarolis, Ego verò Sereniss: D: Ferdinandi nunc Rom: regis, ad promouendas atq; faciendas indutias inter Polonum regem, & ipsum Moscū missi eramus, in medium attulisset, præsertim cum sub id tempus in literis indutiarum de titulo Ducatus Massouiae magna disceptatio ac difficultas inciderat, quem quidem titulum tanquam nouum & inusitatum regi Poloniae ascribere. Moscus renuebat, post longas tamen disceptatiōes admisit, huius rei, ne quis dubitet, testes

biter, testes sunt literæ inditiarum tunc firmatarum quæ in Archiuo Lithuanico seruantur. Porro si authoritate literarū Max: sibi scriptarum regis nomen vsurpare posset, aut post eius obitum Catolus Quintus & Ferdinandus Rex sibi titulum regis inscripsissent, Quanam ratione Moscus impulsus nunc ad summum Pontificem, & ipsum Cæsarem, de Regio titulo (vt fertur) impetrando laboraret, si antea ab Imperatore Maximiliano aut eiusdem nepotibus eodem titulo decoratus fuisset. Quo nomine equidem miror, cur titulum Regis ab alterutro petat, præsertim cum alterum se inferiorem vt dictum est, existimet, alterum verò religionis causa summo odio prosequatur: Imperatoris deniq; longè maiore titulo quem sibi vsurpat neglecto, Regis nomen ambire videtur.

CÆterum quod ad me attinet, equidem dum Oratorem agerem, vsq; adeò Principum meorum dignitatem omnibus in rebus constanter tuebar, vt etiam meam priuatam immiui non passus sum, atq; ideo sæpe illorum ineptam ambitionem illusi, id quod in Moscouia nostra satis copiose declarauit, scilicet, de sinistra huius vocabuli Czar interpretatione. Ad hoc cum quidam ipsum Moscum album regem appellauerunt, vnde sibi talis titulus proueniat, nunquam rationabilem habui resolutionem, tantum abest vt aliquid præter mandatum egissem, adulatione turpi, illis quicquam illicitum tribuissem, indebitoue titulo quenq; ornassem. Profecto si aliquid tale aucupandæ beneuolentiæ gratia cõmissem, Moscumq; regis titulo salutassem, iam olim delictū meum reuelatum fuisset, præsertim cum Oratores Lithuanici regis Pol: subditi, vtriq; legationi meæ intererant, illisq; presentibus hoc negotiū agebatur. Quanam fronte igitur, si tanti criminis mihi conscius fuissem, ad D. Polonos & Lithuanos toties redire ausus fuissem? Nonne puderet me, si eiusmodi crimen firmo aliquo testimonio objici mihi posset? Sed nondum frontem, gratia Deo, perfricui, quin in apertum prodire & quemlibet apertis oculis exporrectaq; fronte intueri audeo, nec etiam quemque in medium vnquam proditurum timeo, qui me eiusmodi criminis ac perfidiæ vlla ratione insimulari nedum certo aliquo fundamento conuincere poterit.

Quæ verò Maximilianum pientissimum Imperatorem commouerint, cum Mosco inire tractatus, vnde & ista suspitio initium cæpit, deducam.

EO tempore quo Vladislaus regno Poloniæ, frater autem eius Casimirus magno Ducatui Lithuanix præsidebant: Mortuo Alberto Rom. Hungariæ & Bohemiæ rege, Archiduce Austriæ, Hungari eligendi regis gratia conuenientes, quidam censebant Reginæ viduæ expectandum pariendi tempus, erat enim prope partum, Maior pars expetebat regem regnantem non infantem nasciturum, Dissidentibus itaq; Hungariæ proceribus, Legati designati erant, ad Vladislaum Polonum, sed priusquam ad eum peruenissent, nascitur posthumus Ladislaus coronaturq; , mox dein superinducto Vladislao, infans legitimus hæres, atq; rex coronatus eijcitur, & tam diu exulat dum Vladislaus ad Varnam occumberet.

Post cladem Varnensem Ladislaus nemine repugnante Hungariæ regnum paternum recuperat, quo regnante atq; in Nandoralbe, quam nostri vocant Albam Græcam, tum existente, Comes Celeiæ aulicus idemq; regis cognatus ab Ladislao Huniade interficitur, idemq; Ladislaus debita tanti sceleris pæna Budæ afficitur, eiusq; frater Mathias Huniad pariter in vincula conijcitur. Mortuo Ladislao rege Hungariæ & Bohemiæ, eligitur in Hungariæ regem Mathias Huniad, quæ Georgius Pogebrat (qui ob regis Ladislai mortem in magna suspitione erat) Pragæ vincitum tenebat, cum sua filia sibi desponsata Hungaris misit, se ipsum autem regem Bohemiæ fecit.

Mathia dein rege, sacram Hungariæ coronam, quam mater Ladislai regis vna cum filio in Austriam pulsa, singulari industria asportauerat, repetente, Eam nisi iure successionis in regno prius concessa ac promissa, restituere noluit, Tandem transactione facta, ac constituta, corona restituitur, reseruato nimirum Austriæ principibus iure successionis, si Hungariæ rex sine masculino hærede (id quod contigit) decederet.

Vladislao

VLadislao regi Poloniæ Casimirus frater magnus Lithuaniae Dux successit. Elisabetham prædicti Alberti Rom. Hungariæ & Bohemiæ regis Archiducis Austriæ filiam Ladislai regis Hungariæ & Bohemiæ sororem, quam Poloni miris modis extollunt, vxorem duxit, ex eaq; numerosam prolem suscepit.

GEorgio Pogebrad Vladislaus Casimiri Poloniæ regis filius in regno Bohemiæ successit.

Mortuo Mathia rege Hungariæ vxoreq; relicta: Vladislaus rex Bohemiæ, fauore & auxilio viduæ sub spe matrimonij regno Hungariæ potitur, Cum hoc rege pariter tractatum de iure successione ac per vtriusq; regni status confirmatum fuit, vt deficiente masculino hærede Austriaca domus in regno succederet.

Mortuo Casimiro Poloniæ rege successit Ioannes Albertus filius, quo mortuo, Alexander, dein Sigismundus, de cuius coniuge ducenda cum incidisset consultatio, in diuersas consultantium animi distrahebantur partes.

STEphanus Comes Scepusij qui apud Mathiam regem summam rerum tenebat, habebat vxorem ex Ducum Thefchinensium familia, fæminam prouidam, ex qua susceperat Ioannem, Georgium, & Barbaram. Mortuo Mathia rege Viennæ Austriæ, conuolabant ex omnibus partibus oratores ad Stephanum, apud quem dum de regno Hungariæ tractarent, venerat à Casimiro rege Poloniæ Ioannes Laski, qui postea Archiepiscopus fuit Gnesnensis, in cuius præsentia, Stephanus Ioannem filium infantem manibus tenens, dicebat. Ioannes si esses tantulus, rex Hungariæ esses, atq; ab eo tempore pater & mater Ioannis regno perpetuo inhiabant. Hæc ex ore dicti Archiepiscopi Peterconiaæ acepi.

ERat nobilis Silesita Ioãnes Rechenberger, Eques auratus, is seruiabat regi Sigismundo Poloniæ, sæpiusq; viduã Stephani Scepu-

ni Scepusien: accedebat, quo cum vidua tractabat, vt primores apud Regem Sigismundum vel muneribus induceret, quo Regi persuaderet vt filiam Stephani in vxorem duceret, quod quidem effecerat, Rex itaq; Sigismundus Barbaram filiam Comitis Stephani Scepusien: in vxorem duxit, quæ Polonis admodum grata erat, magnumq; sui apud illos desiderium reliquit.

VLadislavus Rex Hungariæ, non celebrauit nuptias cum relicta Mathiæ Regis, sed duxit coniugem ex Gallijs de familia Candale & Fuxensi, ex qua procreauerat, tunc filiolum Annam, hanc instantis: affectabat Ioannes Stephani Scepusien: filius.

Maximilianus Imperator Rom: cum videret se iam tertio de suo iure successionis, si hoc matrimonium succederet, detrudi, continuo animo secum agitare atq; vt prouidus Princeps multa expendere ac circumspicere cepit. Primum suspicabatur Regem Sigismundum, Sororio suo Ioanni Scepusien: fauere, qui apud fratrem Regem Hungariæ multum poterat.

Videbat præterea eundem Sigismundum maternæ hæreditatis nomine principatus, Austriacos, ac si illis mater eius nunquam renunciaffet, postulare, atq; ob eam causam arma & insignia Austriæ tanquam hæreditaria ferre, Repetere deniq; dotem matris, quasi nondum solutam, quo nomine cautiones quantum in Austria iuris haberent (nam partes regnorum Hungariæ: & Bohemiæ, ipsi possidebant) proferebantur, his rationibus ac postulationibus impulsus Maximilianus, oratores suos ad Basilium Magnum Ducem Moscouiæ misit, foedusq; cum illo certis conditionibus iniit, Dissentientibus itaq; duobus illis Principibus, nascitur Vladislao regi Hung: Ludouicus filius, quo nato, eo tandem peruentum erat, vt Sigismundus & frater Vladislavus vna cum filio & filia, Posonium venirent atq; inter Ludouicum regem & Mariam neptim Maximiliani ex filio Philippo Hispaniarum rege atq; Maximilianum ipsum aut alterum ex nepotibus Carolum & Ferdinandum cum Anna filia Vladislai Matrimonium contraherent,

traherent, quibus quidem sponsalibus foeliciter Viennæ Austriae, (quo reges & Reginulæ conuenerant) conclusis, pace, concordia, amicitia, inter Maximilianum & Sigismundum firmatis, veteriq; odio prorsus submoto : Maximilianus Cæsar statim post ad Moscouiæ principem misit atq; rursus duos illos iter se dissidentes Principes me Oratore in gratiam redigere satagebat.

PAulo, post Sigis: rege Poloniae Cracouiam reuerso: Barbara sua coniunx moritur, Porrò tanta intercesserat inter Maximilianum & Sigismundum amicitia, vt Sigis: mortua sua conthorali, constanter diceret, se sine scitu & voluntate Maximiliani vxorem non ducturum, Maximilianus itidem dixit me presente, Cum hoc rege se, quocunq; voluerit, vel in coelū vel ad inferos iturū, Dein quia Sigismundus rex masculo hærede careret, suavit Maximilianus, me internuntio vt Bonam ducis Mediolani filiam, ex qua Sigismundum Augustum & quatuor filias suscepit, duceret. Hoc connubio, multi Poloni putabant, Max: occulto se quasi vlciscendi de Polonis studio, hanc immisisse fæminam. Hæc quidem infatiam mihi dicere non erubuerunt, quæ tamen prolem illis non ingratam peperit & hæredem.

Post Maximiliani Imperatoris obitum, magnus Dux Moscouiæ misit suos Oratores in Hispanias ad Carolum Quintum Imperatorem, sollicitando, vt tractatus cum Maximiliano initos confirmaret, Carolus verò Cæsar remisit illos ad fratrem tunc Archiducem Austriae, Mox vtriusq; fratris Oratores constituti: quo equidem tempore hanc legationē nomine Principis mei iam denuò suscipere coactus fueram, atq; tū de titulis alijsq; necessarijs quibusdā rebus, tempestiue admonui. Porrò ingressi iter cum Cracouiam, rege tum presente venissemus, in tantam suspicionem veneramus, propterea qd' Mosci Oratores ex Hispanijs redeuntes, nos committarentur, vt nobis neq; hospitium designauerant, neq; obuiā quemquam iuxta eorum consuetudinem miserant, mox intellecta nostra legatione ac cognita constantia & firma Principū nostrorum amicitia humanius tractabamur, Moscouiæ tandem conclusis ac firmatis quinquenalibus indutijs. Cracouiam reuersi ve-

Mteri more,

teri more, pro honore principum nostrorum humaniter accepti & tractati fuimus.

HIS itaq; verè deductis ac ordine expositis, omnibus testatum ac notum esse volui. Principes meos semel renouata cum regibus Poloniae ac reingrata beneuolentia, Eisdem deinceps haud quaquam simulata, sed vera ac firma semper profecutos fuisse beneuolentia, Eamq; post Matrimonij vinculo confirmasse, quo dein morte dissoluto, altero connubio veluti nouo atq; longè arctiore, solidæ, constantissimæ ac perpetuæ amicitiae vinculo colligasse, atq; inuiolabilem reddidisse, Ea deniq; re Principes meos, id quod quilibet æquus rerum iudex intelligit, occasionem illis vicissim benemerendi, gratiam reponendi, atq; mutuam beneuolentiam perpetuo ac sanctè conseruandi præbuisse.

QUod ad me attinet. Equidem fateor me hætenus omni genere offitij ac inseruendi studio erga Serenissimos Poloniae Reges promptissimum exhibuisse. Deq; suarum celsitudinum subditis omni beneuolentia ac benemerendi voluntate quoad debui, & potui, paratum ac promptum fuisse, & in futurum pariter, me omnia quæ illis grata sensero, esse facturum polliceor.

HÆC itaq; scribere atq; in publicum dare volui, quod videam plures hoc nostro tempore qui dum Historias scribunt affectu & falsa relatione magis, quam veritate rerum adducti non personas solum sed & nationes perstringere, vanitatem sæpe pro veritate in lucem ædere. Innocentes deniq; in tollerandis conuitijs, ac contumelijs contaminare audent, Ut ex his veritas appareat, & si quis secus de hac re scripserit, vanum id esse posteritas intelligat.

Epigrammata in Tabellas

ACTORVM SIGISMVNDI AB
HERBERSTAIN ETC.

Nestora Mæonij celebrarunt carmina vatis
Functum ter æuo, & eloquentiæ patrem,
Diuerfos etiam populos quod vidit & vrbes
Heroa posteri canunt Laertium.
Namq; magistra bonas regit experientia leges,
Rethorq; regum corda flectit eloquens.
Viuit & Æneas longis erroribus actus,
Patauiq; Troa laudat vrbs Antenorem.
Et meritò, Phrygijs etenim si deses in oris
Vterq; turpi consenuisset ocio.
Nec Pataui sedes staret, nec curia Romæ
Victæ dedisset vnquam ius Carthagini.
Cur igitur tua sancte senex preconia bellis
Exercitata supprimat Germania?
Qui iam mortalem Quarto sub Cæsaro vitam
Mira laboriositate protrahis.
Sæpius extremas missus Legatus ad oras
Terræ marisq; passus es periculum.
Danus & Hungariæ, regniq; monarcha Poloni
Tuæ fuere testes eloquentiæ.
Te vicina feris etiam Moscouia Dacis
Et ipse Turciæ Tyrannus audiit.
Gloria magna foris multo tibi parta labore est
Nec aulicis minor domi negotijs.
A quibus exanguis pressus iam mole senectæ
Non abstines, patriæ pater fidissime.
Quapropter virtute senem cum Nestora vincas
Longis eundem subsequere sæculis
Posteritasq; tuum memor olim ad sydera nomen
Vehendo, cœlitibus beatis inferet.

Petrus Paganus Poeta Laureatus.

ALIVD DIONISII PVCLERI

QVI mores hominum, varias qui vidit & vrbes,
Qui tot Cæsaribus nomine notus erat:

M 2 Quem

Quem mare, quem tellus tot obire negocia vidit,
Curaq; qui magnis regibus vna fuit:
Qui simul & belli, pacis qui tempore magnus,
Consilioq; fuit gratus vbiq; suo:
Qui summos toties Reges Orator adibat,
Qui gratam patriæ sæpe ferebat opem.
Qui pariter factis scriptisq; innotuit orbi,
Ingenijq; sui grande reliquit opus:
Hac sua collegit Sigismundus gesta tabella,
Herberstainiacæ Duxq; paterq; domus.
Hos pia posteritas olim visura labores,
Cum monumenta sui grata reuoluet aui:
Quantus erat, dicet, nostri reparator honoris,
Emeritus factis quem comitatur honos.
Concipietq; animos & nomine calcar auito,
Currat vt in laudes æmula turba tuas.
Ergo transacti frueris dum laude laboris,
Viue diu patriæ vir venerande precor.
Viue tuis patriæq; diu veneranda senectus,
Perpetuumq; tuo nomine nomen habe.

ALIVD MARTINI MYLII

Cernis obumbrari grandæui gesta Baronis,
Qui titulos veræ nobilitatis habet.
Doctrina celebri mores exornat auitos,
Consilio salubri Marte togaq; viget.
Insignis placidum comitatur gratia vultum,
Prædicat Illustrem cana senectia virum.
Notitiam rerum vigilans prudentia firmat,
Quæ sibi non facili parta labore fuit.
Per varias gentes, per prata, per æquora vectus,
Ambiguam sortem, mille pericla tulit.
Hinc fidis monitis flexit persæpe Monarchas,
Seruans iusticiæ cum ratione decus.
Atq; nouem lustris pressus molimine rerum,
Regius assessor Cæsareusq; fuit.
Nunc, quia transacti dulce est meminisse laboris,
Elogium vitæ condidit ipse suæ.

Illius

Illius instinctu discat generosa iuuentus,
Flexile currenti subdere calcar equo.
At cum Cygnæas imitentur tempora plumas
Hunc cantu Cygni claudere fata precor.

Ad Generosi ac verè No-

BILIS D. GEORGII L. B. IN HERBERSTAIN
Neyperg & Guttenhag &c. Hereditarij Camerarij & Dapi-
feri Carinthiæ, Ducatus, Styriæ Capitanei filios D. Georgi-
um, Leopoldum & Georgium Rudbertum Discipulos
olim suos Elegia Parænetica Petri Pagani
Vuanfridensis P. Laurea.

VT speculum facies hominum discernit, & illam
Aut probat, aut huius stygmate damna notat:
Sic fortes virtus, sic prodit inertia molles,
Hæc homines brutos, dum facit, illa deos.
Et veluti primis sonipes generosus ab annis
Crebro suppositam vulnere lædit humum:
Sic virtutis amans, hauſto vix aëre, pectus
Semina naturæ nobilioris alit
At piger in cunis miseræ iam tædia vitæ
Sentit, & ignauo tempora corde terit.
Posteritas exempla notat, quæ digna laborum
Præmia dat meritis, immeritisq; mala.
Quis non magnanimum quoq; nunc miratur Achillem?
Cui non Hecitoreo pectus amore flagrat?
Rex Macedûm tenero quæ iam conceperat ævo
Victrici domuit, regna, deinde manu.
Iurârat cano, media inter sacra, parenti
Hannibal in clades, inclyta Roma, tuas.
Quod si periuro reuocasset adultior ore,
Haud ita Cannarum iugera nota forent.
Virtutis specimen Romanæ præbuit olim
Scipio, dum stricto protegît ense patrem:
Cui toties victus victori paruit Afer
Cum regeret forti signa ducesq; manu.

M 3 Mollis

Mollis at a puero, regniq; indignus habenis,
 Turpiter extinctus Sardanapalus erat.
 Hæc, velut in speculo, Generosi, visa, Barones,
 Aut imitanda ætas, aut fugienda, sciat.
 Æternas virtus laudes æterna meretur,
 Compita virtutis conuenit ergo sequi.
 Mollitiem turpis manet exitus execrandam
 Cuius delicias qui fugit, ille sapit
 Cernitis vt digna, propioris, laude, Sobrini
 Gesta canat clarij concio docta chori:
 Illius exemplo patriæ defendere causas
 Discite, virtutis præbeat ille typum.
 Ne vos degeneres ventura redarguat ætas
 Sed quoq; serus amet vestra trophæa nepos.

Illustri ac Generoso Do-

MINO D. SIGISMUNDO LIBERO BARO-
 ni in Herberstain, Neyperg & Guttenhag &c. Domino &
 patrono suo optimo. S. dicit: ac de pictura illa compellat
 quæ eum ex Moscouiæ Legatione redeuntem
 sic vestitum exprimit.

Paulus Fabricius Cæs. Mathematicus
 Medicinæ Doctor.

Quod tibi sæpe fuit iuueni perferre molestum
 Sæpius id gratum est nunc meminisse seni:
 Nunc tibi sunt grati iuueniles sæpe labores
 Atq; senectutis dulce leuamen habent.
 Quando recordaris variè terraq; mariq;
 Qualia sensisti quantaq; quotq; mala
 Quòd via sæpe tulit fallax quòd inhospita tellus
 Ceperunt multo quod loca plena metu.
 Scilicet actarum grata est memoratio rerum
 Cum quibus auxerunt sæpe pericla metum.
 Hæc quoq; quam picta gestas in imagine vestem
 Acta iuuentutis plena laboris habet.
 Cæsar enim, cui tunc Romana potentia soli
 Paruit, in viuis Maxmilianus erat
 Poscebat patriæq; salus magniq; voluntas
 Cæsaris, arctoo vt quis adiret agros.

Pluribus

Pluribus in rebus dudum tua cognita virtus,
Cumq; lepore fuit lingua diferta suo.
Ergo Sigismundum cui subiacuere Poloni
Cæsaris inuicti nomine iussus adis :
Creditq; intrepidus perfers mandata Monarchæ
Pro patriæ certus quæq; salute pati.
In tua dicentis consentit verba Polonus
Miratus linguæ dicta diferta tuæ
Inde reuersuro Dux Moscus munere vestem
Donat vt hæc illam picta tabella refert
Grata igitur te posteritas celebrabit, & ætas
Non erit haud poterit quæ memor esse tui.
Qui quoq; Musarum studijs ac artibus æuum
Et qui palladijs attribuere sacris
Dum vehet astra polus dum sparget gramina tellus
Hi tua iucundo carmine facta canent.
Si quid in his etiam est dignum modo viuere scriptis
Viuet cum scriptis & tua fama meis.

D. Maximiliani Cæsaris

LEGATVS A MAGNO DVCE
Moscouiæ, tali veste ornatus.

Sigismundus ab Herberstain, Eques, & Consil: &c.

SIC oculos, sua Sigismundus sic ora gerebat,
Cum regetet Latias Maxmilianus opes.
Tunc quoq; Cæsarea fuerat celebratus in aula,
Et proceres inter nomen habebat eques.
Vnde Borystheneas venit legatus ad oras,
Sunt vbi perpetuo rura perusta gelu :
Cæsaris vt ferret Domino mandata potenti,
Ingens quem gelido Mosqua sub axe timer.
Ipsius his etiam virtus innouit oris,
Quolibet hæc grata est tempore, grata loco.
Grata duci fuerit toties quòd cognita virtus,
Munera qui meruit, testificatur honor.

Namq;

Namq; auro insignem pretioso & vellere vestem,
 Hoc regale viro munus habere dedit.
 Nunc tibi dulcescunt acti Sigismunde labores,
 Difficiles casus iam meminisse iuuat.
 Et data longinquo iam dona reuoluis in orbe,
 Dumq; tenet varium dextera munus, ais:
 Hæc à Cæsaribus, data sunt à Regibus ista,
 Hæc sunt Basilij regia dona Ducis.
 Tardior utq; annis diuerso monstrat ab hoste,
 Ad patrios miles quæ tulit arma Deos:
 Sic modo transactos terraq; mariq; labores
 Dicere cum bellis, est tibi dulce, Baro.
 Cætera de Moschis narrant tua scripta remotis,
 A doctis pariter scripta probata viris.
 Vnde tuis multum debet Moscouia Musis,
 Per te quod toto possit in orbe legi.
 Arctoas quod opes, mores, loca, flumina, regna,
 Casibus ædideris cognita sæpe tuis.
 Posteritas leget hæc rerum studiosa tuarum,
 Ingenijq; tui nobile viuet opus.
 Tot tua florebit virtus exercita rebus,
 Siue diem cernes, siue tegæris humo.

Dionysius Puclerus.

In effigiem Sigismundi ab

HERBERSTAIN, LEGATI AD CAROLVM
 Regem Hispaniæ &c. Electum Rom: Imperatorem,
 à quo tali veste honoratus est.

QVIS non miretur Sigmundi facta Baronis,
 Munia quod tanta dexteritate gerat?
 Eloquio præstans, legati munere functus,
 Præmia transacti digna laboris habet.
 Carolus assumens Romani sceptræ Regentis,
 Imperij summus moxq; futurus apex:
 Reddidit hunc merito Regali veste superbum,
 Vellera contribuens qualia Seres habent.

Moscouiæ

Moscouiæ Princeps donatum pelle remisit,
 Magna decet Magnum munera ferre Ducem.
 Hoc habitu gestit Baro, solaturq; labores,
 Hoc habitu præstans sæpe peregit opus.
 Vestis honoranda est animi certissimus index,
 Mentem curta leuem nunciat, ampla grauem.
 Est grauis, & fidei grauitate commissa tuerur,
 Legati titulum cum grauitate gerit.
 Ille Polonorum Regi mandata libellis
 Verba tulit, Magno Moscouiæq; Duci.
 Vrbs est, Cracouiam latam dixere coloni,
 Aulæ sublimis Rex vbi fulcit opes.
 Hac fidis venit socijs fortissimus heros,
 Susceprus solito nec fuit ipse modo.
 Obuius haud vllus processit, & hospita tecta
 Conduxit, forsan suspicio suberat.
 At cum perspecta est Dominorum prompta voluntas,
 Legatis merito redditus omnis honor.
 Posthac Lithuanix rigidæ transitur in oras,
 Gratus vbi cunctis splendida dona capit.
 Tunc Budisinos Geta claudit milite muros,
 Sceptra Bohemorum Dux Ferdinandus habet.
 Hic etiam Vngariæ tandem Rex iure creatur,
 Nunq; sub Imperio sunt sita cuncta suo.
 Viuant Austriacæ præcelsæ numina sedis,
 Fama ita Sigismundi nescia mortis erit.

Martinus Mylius
 Annæbergensis.

In effigiem Sigismundi Li-

BERI BARONIS IN HERBERSTAIN ETC.
 Tali veste à Mosco donata induti Anno M. D. XXVI.

Elegia Petri Pagani P. L.

OMnia cum rigido metat irremeabile vultu
 Tempus, in effæto nil manet orbe diu.
 Hinc varij rerum motus, belliq; furores
 Regna solent casu sternere summa graui.
 In sua disidijs etiam ciuilibus acti
 Viscera, tela mouent sæpe cruenta duces.

N

Astyages

Aftyages Cyro poterat superesse nepoti,
 At iuuenem victrix prætulit hora seni.
 Pacatos poterant Persæ defendere fines,
 Ni foret Æmathio Græcia mota duce.
 Sic totum victrice manu bacchata per orbem,
 Ciuili toties vulnere Roma cadit.
 Scilicet hanc regnis regum temeraria cladem
 Mens parit, & sceptri dira cupido noui.
 Non minus & consulta nocent, quæ Principis ægrum
 In furias animum castrâq; Martis agunt.
 O foelix igitur nimium Respublica, sani
 Quam Princeps animi propositiq; regit
 Aulica consilijs cui turba fidelibus adstat,
 Mandatq; libens promouet acta dati
 Talem Germani te Ferdinande penates
 Experti, patriæ, pacis amore, pater.
 Tuq; Sigismundo, patriæq; tibiq; fideli,
 Præmia pro vigili digna labore refers:
 Et referunt alij, quorum legatus ad oras,
 Eloquio flexit barbara corda suo.
 Aspicias vt reducem, donum memorabile Moschi,
 Sarmatica pellis sindone tecta tegat,
 Mitraq;, regali circumdans tempora luxu,
 Externo herois velet honore caput:
 Pegaseo quondam charites quod fonte rigarunt,
 Cui dedit æternum casta Minerua decus.
 Quem dij, supremi quem totius ergo Monarchæ
 Orbis amant, meritò totus & orbis amet.

In effigiem Sigismundi Li-

BERI BARONIS IN HERBERSTAIN ETC.

Ad Solymanum Turcarum Imperatorem

legati, sic vestiti.

Carmen Gasparis Cropacij Pelsnensis

Poetæ Laureati.

Dignus honos virtutis honos, vberissima merces
 Virtuti comes est, en sacros aspice vultus,
 Sydereosq; oculos, habitum, barbamq; decentem

Insignis

Insignis grauitate viri, quem Pallas amico
Sustinuit tenerum gremio, cui nescia fati
Immarcescibiles virtus indulfit honores.
Sic Mahometigenas foret vt legatus in oras,
Hunc Ferdnandus auos referens virtute Monarchas,
Ad Scythicum misit magna ratione Tyrannum.
Cuius præclaras animi cum corpore dotes,
Ordine si coner tenui concludere versu :
Ante maris bibulas numero complectar arenas.
Nestora consilijs vincit, grauitate Catonem,
Et culto clarum superat sermone Periclem
Fulminat, & rapido ceu torrens confraga fluxu
Saxa trahit, trahit ille animos sermone disertio.
Nec satis hoc, septem linguis discrimina vocum
Flectere, conuersoq; potest formare palato.
Vnde suo generi decus immortale parauit.
Quid quod vt innumeros populos, sic vidit & vrbes,
Et varios hominus mores, laudatur Vlysses,
Virtutisq; suæ præconem iactat Homerum.
Viueret hoc vtinam Smyrnæus tempore vates,
Materiam pulchro daret huius fama labori.
Idcirco ex reliquis aptissimus omnibus vnus,
Iniunctum munus Romani Regis obire
Eligitur, Scythicumq; iubetur adire Tyrannum,
Insigni decoratus, munere Regis, amictu,
Semper lucescit, nunquam later aurea virtus,
Dum premitur, crescit, nec defraudatur honore.
Castra Sigismundus sic Turcica quando subiuit,
Emeruit dignos propriæ virtutis honores.
Ardua mens animis Heroum semper inhæret
Ingenijq; decus dignos exornat alumnos.
Qui sapitis, duros placidè tolerare labores,
Mox venient merito quia præmia digna labori.

In effigiem Sigismundi ab

HERBERSTAIN ETC. TALI VESTE

à Turcarum Imperatore donati ANNO

M. D. XLI.

Carmen Heroicum Petri Pagani P. L.

CVM Mahometigenæ visurus castra Tyranni
Austriacas, patriæ legatus, linqueret oras,
Spem de se dubiam vitæ timidumq; pauorem
Herberstainiades notis incusserat heros:
Ipse etiam Cæsar mandata daturus eunti
Anxia sollicitè superos in vota vacârat,
Ut caput hoc proavisq; suis, fratriq; probatum,
Et sibi per varios perspectum sæpe labores
Tristibus eriperent fatis: sic tota precata est
Aula, profecturi dextram amplexata patroni.
Nec sanè immeritò: quis enim, nisi durius ære
Pectus alat, tantum tantis heroa periclis
Non gemat expositum? patriæ qui maxima præsens
Commoda ferre domi poterat, tristesq; leuare
Imperij curas: Nihil his tamen omnibus ille
Motus magnanimo tendebat pectore contrâ.
Iamq; per Hungaricos, vario discrimine, fines
Magnum iter emensus, miseræ vestigia cladis,
Disiectasq; vrbes, & diruta moenia cernit,
Quæ dextra quondam defenderat ipse fideli
Cum sub Romano floreret Cæsare regnum:
Res igitur lapsas miserans, ad acerba dolosi
Castra Othomannigenæ pergit, gentemq; prophanam
Accedens, vigilesq; duces, densosq; maniplos
Miratur, patriæq; instantia damna reuoluit:
Quin etiam immitem, postquam data copia fandi,
Heroa intrepidus Solymanum voce salutat.
Ille vbi Romani peragentem iussa Monarchæ
Audierat, quamuis Plutone immanior ipso,
Protinus exarsit virtutis amore, piumq;
Ornatum tali, legatum, veste remisit

Scilicet

Scilicet hoc virtutis opus, quæ corda potentum
Flectere, crudeles etiam quæ vincere Gentes
Nouit, & humanos audax excedere fastus.
Hæc cum te venerande senex fors æqua bearit,
Et tot inexhausto peragratis regna labore,
Dignus es, vt Pylis contingas Nestoris annos,
Pannoniaq; tuum semper celebretur in ora
Nomen, & adsertæ patriæ pater vsq; voceris.

Inclyto Heroi Sigismundo

LIBERO BARONI IN HERBER-
STAIN, NEYPERG ET GVT-
TENHAG ETC.

Ad Imagines habituum, quibus diuersis in legationibus sum-
morum Principum muneratione est honoratus.

Gestarum cum sint rerum monimenta tuarum,
Hi, Reges habitus quos tribuere tibi.
Vim tamen ingenij nequeunt simulachra referre
Ista, nec æternis acta sacrandæ notis.
Nempe solum referet cuncta te posteritate,
Omne quod hinc Tanais claudit, & inde Tagus.
Pegasidum referent te Carmina docta sororum
Te canet, Aonia flauus Apollo Lyra.

Sigismundus Torda.

Qvos adij populos quæ regna potentia vidi
Exposui lustranda oculis, non Iudicis æqui
Examen metuo, moueor nec bile maligni
Robore vera suo stant inconuulsa vigentq;.

Ioh: Rosinus.

N 3 Generoso

Generoso ac verè Magnifi-

CO D. DOMINO SIGISMUNDO LIBERO
Baroni ab Herberstein, Neyperg & Guttenhag, trium Impe-
ratorum Consiliario, supremo in Carinthia
Camerario & Dapifero.

S. D.

CUM tua te priscis virtus Heroibus æquet
Qui bene de patria promeruerit sua
Quis non ingenuo te prædicet ore patentem?
Curam pro patria dum vigilanter agis
Dum procul hinc positas tendis legatus in vrbes,
Et te conueniens concomitatur honor.
Vnde tot imperij constat placuisse Monarchis
Ingenij robur cum grauitate tui.
Iude tuo generi, generisq; nepotibus ingens
Diceris & clarum conciliaſſe decus.
Regulus ob patriæ contempta morte salutem
Horrenda voluit sponte perire nece.
Nec, si quid timuit, plus quam terrena timebar,
Tu nimium terra passus es, atq; mari.
Æquora moturos aduerso flamine ventos
Sollicita piguit non subiſſe via.
Quicquid habet pelagus, quæcunq; pericula tellus
Immeritum innumeris heu petiere malis
Infracta duros toleraſti mente labores
Et fuit inuictum munus obire decus.
Postq; tot ærumnas tibi gloria parta virescit,
Florida nec fatis succubuisse potest.
Maſte tua virtute senex, sic itur ad astra,
Protege Gorgonei myſtica ſacra gregis.
Hinc tua ſublimis volitabit fama per auras,
Clareſcet nomen poſt tua fata tuum.
Victuros titulos reddent tibi carmine vates
Eripiunt nigris tot benefacta rogis.
Sic nunc Æacides, ſic prudens viuit Vlyſſes
Viuunt Hæctoreæ ſplendida geſta manus.

Quos

Quos si nosse volens de nomine quemq; requiras,
Oppressi fatis puluis & umbra iacent
Sola sed Aonidum facit hos nunc cura Dearum
Viure, virtutis conscia sola sacræ
Ergo meas postquam tetigisset certior aures
Gloria, sydereis iam quoq; nota plagis.
Quam tua promeruit iam dudum viuida virtus,
Præclarum potui non reticere decus.
Sed quia sum laudum cultor Sigismunde tuarum
Effigies calamis est tua nota meis.
Qua Mahometigenum missus legatus ad hostem
Credita Romani munia Regis obis
Hos ego dum viuam, quos pinxi carmine vultus
Nunquam de memori pectore abire sinam.
Semper at ingenuos oculos, & vulnus honestum
Victuro venerans carmine honore colam.

T. Magnificentæ

Addictissimus

Gaspar Cropacius
Pelsnensis Bohe-
mus Poeta Lau-
reatus.

Vitæ ac

Vitæ ac rerum gestarum

GENEROSI AC VERE MAGNIFICI DOMINI Sigismundi Liberi Baronis in Herberstain, Neyperg & Guttenhag &c. Breuis Enarratio Petri Pagani Poetæ Laureati.

CVM humana vita nihil aliud sit, quam perperuus actus Comicus, in quo tanquam in speculo, cum virtutis tum vitiorum gradus, & effectus graphicè ita depinguntur, vt facilimè quid fugiendum, quidvè sequendum sit, experientia & diuersi rerum euentus doceant: Homini, quem paruum mundum Physicus appellat, duo potissimum consideranda sunt: Primo origo sui diuina, ad quam recurrens, vbi se ad imaginem Dei opt: Max: creatum, totq; animi dotibus præ cæteris creaturis omnibus ornatum cognouerit, coelestis patriæ amore accensus ad cultum Diuinum vi quadam rationis rapiatur, nihilq; aut vtilius aut iucundius, quam voluntati summi boni, qui est Deus se applicare, & in mandatis eius acquiescere ducat. Deinde humana quoq; origo, quæ à parentibus proficiscitur, nunquam non oculis hominum oberret, ea enim cum fragilis sit, per gradus tamen virtutis ascendens ita interdum corroboratur, vt non solum sui seculi præconijs euecta, sed ad posteros quoq; demanans immortalitatis gloriam mereatur: In hac consideratione cum aliquis se illustribus & rebus bene gestis præclaris parentibus ortum inuenerit, in hoc solum incumbat, vt eorum vestigijs insistens, stirpi suæ se nec indecorem nec degenerem gerat. Sin tenuitas maiorum nulla nobilitatis, rerumq; bene gestarum testimonia homini obtulerit, suarum iam esse partium cogitet, parentum ignobilem humilemq; statû sua virtute corrigere, extollere & illustrare: Non deterritus quorundam phaleratis persuasionibus, qui omnia ex maiorum insignibus & trophæis, sui interim officij obliti, metiuntur. Inane enim est antiquæ nobilitatis nomen, cum nulla alia res nobilem faciat, quam stolidæ & nudæ maiorum imagines. Qui enim hoc errore ductus umbra externarum rerum se magnum existimat, leuis potius & stultus quam nobilis habendus est. Atq; vtinam Nobiles quidam

quidam auos suos & progenitores in memoriam reuocarent & ex omni antiquitate conquirerent, seriem fortassis Genealogiæ inuenirent, vnde non solum non insolescerent, sed potius erubescerent. Sic à Caino & Esau reprobis, à grassatore Nimrod, à crudelissimis Tyrannis Nerone & Phalaride, ab idololatra Thare, à Christianæ religionis infedatore & Apostata Iuliano, ab effeminate Sardanapalo multi descendunt Duces & Reges, qui de initijs suæ stirpis parum gloriari possunt. Et licet plærunq; contingat, fortes creati fortibus & bonis, nisi tamen in genitæ illæ paternæ virtutis scintillulæ recta institutione foueantur & confirmentur, facillimè extingui solent: Vnde fit vt Clarissimorum Præstantissimorumq; virorum liberi ab auita virtute sæpissime degenerent, vulgarisq; prouerbio Heroum filij noxæ vocentur, Cum alioquin quam plurimos ex humili prosapia natos ad summa dignitatum fastigia conscendisse, regnisq; & Imperijs non sine laude præfuisse historiæ restentur: Quandoquidem autem degenerantium à maiorum suorum virtute exempla (qualia sunt Cambyxis Sardanapali Regum, L. Scipionis, Fabij Maximi filiorum, aliorumq; quam plurimum) odiosa caneq; & angue peius fugienda sint, omisis illis pauca quædam virtutis, inopiæ latebris se euoluentis, specimina (omnia enim colligere instituti nostri non est) virtutis studioso ob oculos ponemus.

ATq; vt à populo Romano, quem acerrimum virtutis censorem fuisse constat, exordiar, quis ignorat Tullij Hostilij adolescentiam in pecore pascendo fuisse occupatam, quis Tullium Seruium seruo seruæq; natum nesciat? Vtrumq; tamen ob Heroicas virtutes, quibus præditi erant. S. P. Q. Romanus Regem salutare non erubuit: vt interim silentio præteream Iustinum, Maximinum, & Galerium armentarios, porcorumq; adores, Valentinianum patre funes torquente, Aurelium Colono, Probum olitore natos, Mauritium excubitem & famulum, Basilium inter captiuos Constantinopolim ductum, quos omnes populus Romanus Imperatores habuit: Quid? quod idem rebus desperatis ad Q. Cincinnatum agrum colentem, tanquam sacram anchoram confugiens, eum dictatorem dixerit. Nullum eorum patria infamia, nullum maiorum tituli ad tantas dignitates euexere, sed virtutis calcaribus acti, hinc pudore stimulante, illinc ex-

O terna

terna gloria manum porrigente, & patriæ tenuitatis notam de-
leuere, & illustrium familiarum laudes aut æquauere, aut ex-
cedentes longo post se interuallo reliquere. Quare vt poste-
ros suo quoq; exemplo ad amplectendâ virtutem excitarent,
certa quædam prioris fortunæ signa in perpetuam rei memo-
riam à nonnullis relicta, & in hunc vsq; diem sanctè obserua-
ta reperiuntur.

EX quibus Primislaus, qui à pueritia agriculturam exer-
cuerat, cum inuerso vomere cibum capiens ex insperato Dux
Bohemix eligeretur, rusticas suas crepidas deponere iussus, no-
luit, easq; in arce Vilshegradensi reponi imperauit: vt posteris
primi sui ducis fortuna & electio cognita perspectaq; esset.

Agathocles, qui ex figulina patris officina ad regnum Si-
ciliæ peruenit, vt successuris in regno exemplum tenuitatis &
modestix suæ relinqueret, poculum luteum cum aureis men-
sæ semper apponi iussit, qd' hoc Epigrammate Poeta testatur.

Fama est ficilibus cænasse Agathoclea regem,

Atq; abacum Samio sæpe onerasse luto.

Quæsitus causam, respondit, rex ego qui sum

Sicanix, figulo sum genitore satus.

Fortunam reuerenter habe, quicunq; repente

Diues ab exili progrediere loco.

Insigne fuit & Gordij regis monumentum, qui ex infima
Istirpe ad regiam dignitatem præter spem euectus, plaustrum,
quo utebatur, nodo insolubili celebre, in templo non aliam
ob causam suspendi curauit, quàm vt originis suæ certa exta-
rent indicia.

HÆC ideo commemorare volui, non vt illustrem & à
parentibus propagatam nobilitatem minoris faciam ad quam
(vt inquit Cicero) vbi accesserit ratio quædam confirmatioq;
doctrinæ, tum illud nescio quid præclarum ac singulare solet
existere, sed vt honesto claroq; loco natis author sim, omnibus
modis enitendi, vt sicut auita nobilitate alijs præstant, ita &
virtute superiores esse studeant: Ingenio vero excellentibus,
qui dum per fortunam maiora se adsequi posse desperant, re-
rum bene gerendarum occasionem sæpe omittunt, calcet ad-
dam,

dam, vt inftar palmę audentiores oneri se opponāt, honestius multò esse ducentes; firma nouæ nobilitatis fundamenta iacere, quam prisca diruere. Nimirum vt & nostræ ætatis Illustres tantisq; laudibus vel sua virtute partis, vel à maioribus acquisitis dignos viros pro exemplo recensendo posteros eorum ad sequenda maiorum suorum vestigia incitem, humiles instigem, degeneres vero turpibus exemplis ab indigno proposito deterream. Ex omnibus autem vel solus mihi occurrit Sigismundus liber Baro in Herberstain &c. Qui etsi vltra memoriam hominum familiæ suæ nobilis & equestris ordinis dignitate conspicuæ non solum testimonia antiquorum, sed & huius ætatis certissima habeat, nihilominus tamen cum pro ingenita virtute, singulariq; modestia & rerum experientia incomparabili, à primo parente neminem nec Regem, nec Imperatorem aut nobilem creatum esse, sed successu temporis, ob meliores politiarum gubernationes, hominumq; in actione virtutis æmulationem gradus nobilitatis, & dignitatum in Rebuspub: bene constitutis originem cepisse sciat, infatiabili indagandi suæ stirpis exordij cupiditate adductus, ex ipsis tandem & vetustissimis insignibus coniecturam fecit, primos nobilis Herberstainiorum generis auctores agricolas fuisse, Cū enim plerunq; ad altiorem dignitatis locum euecti aut nomini aut conditioni consentanea eligere soleant insignia: Traham, qua aratrum ad agrum deducitur, & ab agro reducitur, agriculturæ signum esse certis argumentis colligit, quapropter non solum antecessorum nobilitate nititur, sed sua quoq; virtute partum decus meritò posteritati commendat. Quid autem Domui Austriæ præstiterit, quantumq; patriæ & suæ presertim stirpi ornamenti attulerit, & qualem se gesserit, liberi etiam Baronatus, vt vocant dignitatem suis officijs liberalissimis acquirendo, paucis referam.

CVM enim cum alijs artium Osoribus à iuuentute Genio, vt eius conditionis hoies quàm plurimi solent, indulgere posset, fidorum tamen parentum consilio optimis disciplinis puer adhuc (ne tenella ætas inertia & indulgentia corrumpetur) erudiendus traditus est, in quarum cognitione & plurimum laboris, & molestias non exiguas perferre coactus est.

CVM enim Slaonica lingua, quæ illi materna fuit ueretur, licet Germanus esset & à Germanis originē traheret, tamen cum vicini vicinos suos plærunq; ob linguarum diuersitatem, intestina dissidia, vel bella odio prosequi soleant, frequentibus condiscipulorum conuitijs laceffitus, patientia iniurias vicit, calumnias quoq; reuersus in patriam ab indoctis (scientia enim non habet osorem nisi ignorantem) illatas æquo animo tulit, cum enim ab his Scholaris & scriba, ab illis Baccalaureus & Doctor contumeliosè vocaretur, maluit leuem iniuriam maximæ utilitati anteponere, quin potius maiori studio & diligentia linguarum & artium studia amplexus est, grauissimam Horatij sententiam secutus, qui cum à nobilibus & bonis parentibus nobiles & bonos liberos creari affirmasset, subijcit.

DOctrina sed vim promouet insitam
Rectiq; cultus pectora roborant,
Vt cumq; defecere mores.
Dedecorant bene nata culpæ.

NEC opinio adolescentem fefellit, breui enim tantum profecit, vt in hoc celeberrimo Archigymnasio in ipso ætatis flore annum agens xvi. primam in artibus lauream, quod primum liberalibus ingenijs præmium propositum est, consecutus sit, nec erubuerit, foelix hoc futurarum dignitatum omen obuijs, quod aiunt vlnis, excipere, quod tamen nostrates nobiles, tanquam inutile nobilitatis accrementū vulgò aspernantur, Ille aut cum ad tam digna officia & tantas legationes deputatus, indeq; ad altiorem statum suam familiam deduxerit, Ab hac celeberrima Academia quasi ex fonte hæc hausisse se ingenue fatetur, à qua nunquam, tanquam membrum à suo corpore, separari cupit. Sumpta deinde virili toga, vt parentum sequens officium nobilitatis sua persona suppleret, Cæsari Maximiliano Hungarico tandem & Veneto bello occupato strenuam & fidelem operam præstitit, præcipuè vero cum obsessis in Marano auxilio missus, Iple tunc Styriensium Equitum turmis præfectus, conflictui, quo Venetorum Generalis Dux exercitus, Ioannes Victorio profligatus & captus,

ptus, interfuit. Quapropter ab Imperatore ad aulam vocatus, Equestri dignitate ornatus, & consilij aulicis adhibitus est, tantumq; industria, legationibus & maturo consilio effecit, vt summam sibi tam apud Maximilianū Cæsarem, quam exteros Reges, Imperijq; Electores & Principes gratiam conciliauerit, & post mortem D. Maximiliani Ducatus Styriæ ad Carolum Regem Hispaniarum Legatus, causam egerit, negotioq; fideliter expedito Regi adhuc adolescenti charus esse cepit: Quo deinde Romano Imperio potito, & fratre eius Ferdinando, Romanorum rege electo, Austriam gubernante, multa grauissimq; Reip. onera sustinuit: Ita enim fratribus Augustis fides eius & in tractandis arduis negotijs dexteritas perspecta erat, vt si quæ Magnificæ legationes obeundæ, coniugia Regia trahenda, aut cōtrouersia inter concitatos Reges & proceres Imperij cōponendæ essent, illius opera quàm maximè vterentur. Talibus itaq; negotijs occupatus, domestica quiete aut raro aut nunq; potitus est, verùm cū à natura infracti ad labores esset animi, quicquid molestiarum terra mariq; offerebatur, præsentī semper animo aut contemnebat, aut constantia vincebat, nec Vlysse magnanimitate, nec Nestore negotiorum expediendorum dexteritate inferior. Non enim viginti tantum, vt Vlysses, sed LIII. annos bellis & legationibus consumpsit, nec inter dissentientes eiusdem nationis Duces vt Nestor, sed diuersarum gentium Monarchas fœdera tractans, pacem composuit, ac imminētia patriæ pericula auertit.

Quotusquisq; est, qui propositis etiam præmijs pace florente maritimam Daniam, inaccessam Moschouiam, florentem Poloniam & incultam Lithuaniam, armis turbatam Hungariam & infidelem Turcæ exercitum perlustrare sustineat? At hic inter strepitus armorum cum summo vitæ periculo per inquieta regna etiam ipsos Reges ad arma instructos imperterritus adiit, dexteritate sua rem commissam ita peragens, vt à Dano & si legatio eum parum offendebar, pace tamen dimissus, à Moschouia Principe & Turcarum Imperatore preciosis vestibus donatus, ab alijs deniq; regibus liberaliter remuneratus redierit. Cum enim Italiam Neapolim vsq; , Sardiniam quoq; , Maioricam, Minoricam & Ibiza magna tormentorum vi quassatam ipsam deniq;

O 3 Hispaniam

Hispaniam adijisset, & in reditu Galliam & aliam Italix partem lustrasset. Talem se ubiq; gessit vt non solum quocunq; denuo redeundum erat, erecta & hilari fronte negotium susceperit, sed gratus & acceptus omnibus ad quoscunq; & quotiescunq; mitteretur, semper fuerit.

PRudens hic prætereò Immunitates, honores, dignitates, & præmia, quibus Austriæ Principes hunc virum, & de ipsis & communi patria optimè meritum ornauere, id quod honorifica illi concessa priuilegia testantur, cuius opera iam ætate confecti & emeriti Cæsar Ferdinandus adhuc indies in arduis negotijs vtitur, quiq; annū agens LXXIII. Austriacis prouentibus adhuc Præsidens incumbit, vt non sibi, sed domui Austriæ, cui se ad extremum vitæ articulum deuouit, natus esse videatur.

SI itaq; ijs, qui vel pro patria pugnantēs fortiter se gessere, vel legationibus functi patriæ causas non segniter neq; infelicitate egere, à populo Romano, aliarumq; Gentium Rebus publicæ statux (tanquam perpetuum studij & amoris in patriam apud posteros futurum monumentum) erectæ plerisq; sint, ingratum certè hoc nostrum sæculum dixerim, nisi hunc Heroem, qui etsi diuersis, cum priscis illis, temporibus, pari tamen fide & consilijs patriæ periclitanti strennuam operam præstitit, digna laude præmijs & honore ad extremum vsq; spiritum prosequeretur. Non enim iam Fabricium, Camillum aut Ciceronem, quorum exemplis ad virtutem tantum incitari possumus, ita admiremur, vt hunc virum cuius virtutem, industriam Resp. nostra tam diu frugiferam experta est, cuiusq; præsentia quotidie adhuc fruimur, illis post ponamus. Si enim fidem spectes, quis illo quæso fidelior, sin fortitudinem, quis fortior, sin constantiam, quis constantior eo vnquam extitit? Nec dubium est, veluti nos Romam ob virtutem tantorum virorum fœlicem iudicamus, ita & posteros nostram Rempub. ob huius aliorumq; præclarorum Heroum, quos hæc ætas tulit, præclara pro patria gesta fortunatam æstimaturos.

Studiofos

STudiosos autem virtutis iuuenes præsertim Illustribus parentibus natos sedulo hortor : Vt his & similibus exemplis edocti non sibi se solum, sed & patriæ natos esse meminerint, neue cum brutis animantibus in gloriæ & infames vitam exuant, nominis perpetuitatem (quæ post cœlestem beatitudinem maximè optanda est) virtute & egregijs factis sibi acquirere in primis studeant : Nobilitatis enim decus vt à maioribus ad liberos & successores dignos deriuatum augetur, ita per indignos extinguitur : Nihil igitur profuit Cambysi omnibus Heroicis ornatum virtutibus patrem, nihil Sardanapalo fortes & bellicosos antecessores habuisse, cum ipsi degeneres & effæminati non modo vestigijs maiorum non insisterent, sed quicquid gloriæ, quicquid ornamenti à parentibus ad se permanuerat sua infamia obfuscarent. Præstat enim vt supra etiam meminimus, humilem quendam surgentis profapiæ existere authorem, quàm nobilem auitæ nobilitatis sua ignauia decrescentis extirpatorem : Modestia itaq;, temperantia, maturisq; consilijs opus est, quæ homines ita in officio retinent, vt nec à virtutis limite recedere, nec honesti vias relinquere vnquam animum inducant.

FAxit Deus Opt: Max: vt sub tam pacifico & quieto Imperatore patriæ patre fidissimo, qui fluctuantem seditionibus Europam pacatam reddidit. Christianæ Reipub. ruinæ restaurentur virtutis semina animis consiliariorum & subditorum insita ita radices agant, vt pariter & animæ & Reip. truculentissimorum hostium insultus diuina gratia reprimantur, & Romanum Imperium ea, qua iam fruitur, pace perpetuo vti possit.



In Enarrationem rerum ge-

STARVM GENEROSI AC VERE MAGNIFICI D. SIGISMUNDI LIBERI BARONIS IN HERBERSTAIN ETC. CARMEN DICOLON DISTROPHON.

Ad Generosum & verè

NOBILEM D. FOELICIANVM LIBERVM
Baronem in Herberstain, Neyperg & Guttenhag, Hæ-
reditarium Camerarium ac Dapiferum Ducatus Ca-
rinthiæ &c. Studiorum vnicum decus ex
Italia nuper reuersum.

Authore Petro Pagano P. L.

ERGÒ Pannonias iterum foeliciter arces
FOELICIANE conspicias:
Grandeuiq; genas, studiorum dulce leuamen
Exosculare Nestoris?
Expectata diu salue generosa propago,
Salue Baronum gloria.
Quem procul Euganea nutritum Phoebus in vrbe,
Sacro rigauit nectare.
Cui caput Adriacæ seruo cinxere virenti,
Iubente Nereo, Dex.
O quoties pro te castissima vota benigno,
Sigismundus obtulit Ioui.
Nerua foelici volitantia carbasa vento,
Iratu obrueret Nothus.
Aut animus virtutis amans, Musisq; dicatus
Confortijs caderet malis.
Neue peregrinis redeuntem forsan ab oris,
Scelestus impereret Latro.
Talia cum claro tibi sæpe precata Barone,
Phoebi verenda concio.
Tristis in Ausoniam quæ te discedere fleuit,
Reducemq; læta suscipit.

Aspice

Aspice cæruleis lætantem crinibus Istrum,
 Cauiq; numina littoris.
 Singula gratantur reduci applauduntq; patrono,
 Fumantibus passim focus.
 Cur igitur clari taceat mea Musa Baronis,
 Ingratior præconia.
 Ingenium Styris cuius mirabar in oris
 Quem diligebam maximè.
 O quoties dixi, patriæ spes inclyta stirpis
 FOELICIANE pergito:
 Clarus es, & dudum virtute illustris auita
 Musis eris beator.
 Quas tanto iuuenis complexus amore, virescens
 Petis cacumen Aonum.
 Vnde pedem referens, rerum prudentior vsu
 Patriæ vocaberis decus.
 Nec spes effectu caruit, res verba sequuta est,
 Redisq; charus omnibus.
 Iamq; Sigismundi celebres parat aula triumphos
 Musis alumni gratulans.
 Quem patrem patriæ, Mecœnatemq; salutans
 Præsens honorat sæculum
 Cuius facta sacri toties cecinere Poetæ
 Testes perennis gloriæ.
 Et merito: nam tot curas, tot sæpe labores
 Pro patrijs tulit focus.
 Externis etiam toties Legatus in oris
 Transegit acta Principum.
 Quos inter pacem, sæpe & connubia firmans,
 Quieta regna reddidit
 Deniq; consilijs, dextra, virtuteq; pollens
 Domi forisq; claruit.
 Nec curis animum soluit iam grandior æuo
 Nec vincitur laboribus.
 Sed veluti rupes sæuos immobilis Euros,
 Sic vincit ille tædia.
 Austriaci gignunt quæ mille negotia fisci
 Diuiq; iussa Cæsaris.
 Cumq; graues homini morbos ferat ægra senectus,
 Illi parit solatium.

*Sigismu
 dus liber
 Baro in
 Herber
 stein pa-
 triæ pa-
 ter &
 Musarū
 Mecœ-
 nas.*

P Nec

Nec post tot messes, Tithonia fata, peractas,
Viram perosus, expetit.

Quin patriæ cano cum Nestore seruit, ad ipsum
Ætatis vsq; terminum.

O priscis meritò præstans Heroibus Heros,
Nostri columna sæculi.

In te Musarum spes inclinata recumbit
Te Phœbus agnoscit patrem.

Te mea, dum clario fulcitur numine Musa,
Gratis colet præconijs.

Tu fragili ventos & prospera carbasa naui
Generose suggeris Baro.

Funestas igitur fugiet tua fama fauillas
Nec vrna nomen obruet.

Ipsa vetat te Musa mori, vetat augur Apollo
Sanctiq; coelitem chori.

Tantos Magnifici quoniam venaris honores
FELICIANE patruui.

Virtutisq; sequens vestigia, pectus amicis
Ornare pergis artibus

Pauca SIGISMVNDI de gestis perlege scripta,
Tuo dicata nomini

Et velut ipse sacram veneratur amatq; Poësin.
Sic vatibus faue sacris.

Vt tua maiorum referant præconia laudes
Seris canenda sæculis.

In vi-

In vitam Generosi ac Ma-

GNIFICI D. D. SIGISMVNDI LIBERI BA-
ronis ab Herberstain, Neyperg & Guttenhag, supremi in Ca-
rinthia Camerarij & Dapiferi. Elegia Gasparis
Cropacij Poetae Laureati.

Felix & nimium felix est illa Iuuentus,
Quæ cutram vitæ mente senilis agit.
Quæ non à primis luxu corrumpitur annis,
Sed virtute magis vel decus arte parat.
Nempè senectutis querulos leuat illa dolores,
Afficit & canas laudis honore comas.
Quamuis incluso corpus mortale sepulchro
Post obitum exiguis vermibus esca datur :
Fama tamen viuit, melioris conscia vitæ,
Et dignum prohibet laude perire virum.
Sic venerande senex requiem Sigismunde laborum
Sentis, & hac senij damna rependis ope.
Dum teneræ lætos ætatis respicis annos,
Et iuuenile tua mente reuoluis iter.
Quod benè susceptum placido nunc fine quiescit,
Et tibi tam cano commoda mille parit.
Vtq; genus taceam, quòd tu virtutibus auctum
Innumeris magna laude sub astra vehis :
Principio mores iuueni didicisse probatos
Cura tibi magna sedulitate fuit.
Tum caput ingenuas placuit formare per artes,
Collaq; Pierio subdere prona iugo.
Quisquis es ingenita vitam ratione gubernes,
Et turpem luxum desidiamq; fuge.
Proderit ingenuas studio vigilante per artes
Castra Medusei fontis amore sequi.
Vt mala vitentur vitiorum semina, ne quem
Ducat in obliquum deuius error iter
Quam citò degeneres à vero tramite cursum
Flectimus, à recto turba remota scopo.
Cernimus, at modicum, si non ratione regamur,
Extendit vires illa labore suas

P 2 Herber-

Herberstainiades quod cum persenserat heros,
 Præbuit Aonio corda regenda gregi.
 Hinc lauri virides studiorum præmia baccas
 Promeruit mentis vis generosa suæ.
 Tunc quoq; donec adhuc paucos compleuerat annos,
 Musarumq; recens miles in arte foret.
 Sex etenim segetesq; decem iam falce resectas
 Viderat, vt primus contigit artis honor.
 Fallere cum tempus studio potuisset inani,
 Nobilium veluti cætera turba solet.
 Vel celeres agitare canes, in retia ceruos,
 Ocia vel nimium perniciosa sequi.
 Assiduè potius pulchro inuigilare labori,
 Artibus & voluit cultior esse bonis.
 Ordine sic igitur pariter currentibus annis
 Cultius ingenium Iudiciumq; fuit.
 Mox se militiæ, doctriinæ munere fretus,
 Applicat, atq; alijs utilis esse studet.
 Et benè res cecidit, quoniam prodesse laborans,
 Omnibus exiguo tempore charus erat.
 Non sibi se natum solummodò quippè sciebat
 Esse, sed ad patriæ commoda certa suæ.
 Cæsaris hinc Heros virtute vocatur at aulam
 Insignis, pro quo tristia multa tulit.
 Nempè peregrinas missus legatus in oras
 Sustinuit placida frigora mente pati.
 Sæpe per insidias, commotum sæpè per æquor
 Præcipiente suo Cæsare, fecit iter.
 Non animo dubitans truculentos ire per hostes,
 Pro patriaq; sua viuere, siue mori.
 Nec perspecta fides vni fuit illa Monarchæ,
 Cæsaribus placuit sed benè nota tribus.
 Inde sua virtute decus, iam grandior æuo,
 Lætatur generi conciliaffe suo.
 Gaudebunt seri quopost sua fata nepotes,
 Et gratæ soluent munera mentis auo.
 Dum niueo cæsum statuent de marmore Bustum
 Nominis & famam non perijsse sinent.
 Quin etiam sacri dicent sua facta Poetæ,
 Donec in humano corpore sensus erit.

*Sigismu
 dus ab
 Herbe-
 stain li-
 ber Baro*

In Insignia

In Insignia Generosorum

LIBERORVM BARONVM AB HERBERSTAIN
NEYPERG ET GVTTENHAG ETC. AD
STVDIOSOS VIRTVTIS.

ELEGIA.

Herberstainiacæ cernens insignia gentis,
Virtutis summum mente reuolue decus.
Vna fuit quondam, quarum nunc quinque videntur
Cassis, & agresti parma notata traha:
Helcia quæque vides cristatæ iuncta coronæ
Indicium priscae simplicitatis habent:
At noua præclaris surgens virtutibus ætas,
Indomitæ iunxit corda animosa lupis.
Altera Castiliæ turres duplicemque colorem
Addidit, & pictos vicit honore lupos.
Quinetiam summi facies habitusque Monarchæ,
Imperij signis sunt veneranda sacri.
Quid referam regem sceptris ferroque potentem
Impositum cultis quid diadema comis?
Aspicias ut curuo pharetratus acinace Moschus
Torqueat in fratres lumina glauca duos.
Spicula dextra gerit, digito prehendente flagellum
Armata est arcu læua Borysthenio
Adde coronatas galeas, gemmasque coronis
Insertas, magnum singula pondus habent.
Scilicet ex humili stirps inclyta sæpe parente
Nascitur, & spererum tollit ad astra caput.
Quis neget aruorum genus à cultoribus ortum,
Cui traha principium nobilitatis erat?
Quis neget hoc ipsum, ductu virtutis, auitis
Splendidus signis emeruisse decus?
Omnia cura potest, labor improbus omnia vincit,
Munera sollicito parta labore vigent.
Sola valet duos virtus superare labores,
Principibusque suos conciliare viris.
Illius auspicijs solidum venatus honorem
Libera Sigismundi iura Baronis habet.

P 3 Nam

Nam quia consilijs promouit Cæsaris acta,
Munera Cæsareo digna cliente tulit.
Nec minus Augusti donum memorabile Regis,
Testatur saluam tempus in omne fidem
Arma sed aduersi bellum manitancia Moschi
Significant longæ dura pericla viæ.
Quæ Scythicas olim missus egatus odoras
Pertulit irati dum moerora Ducis.
Tantæ molis erat, virtutis scandere callem,
Tantæ fortunam vincere molis erat.
Frustra igitur titulos & summos quæris honores,
Quisquis es, & curas Sardanapale fugis.
Consilijs opus est, quæ rerum longior vsus
Comprobat, heroxæ est vi quoq; mentis opus.
Hac via virtutis tendentis ad ardua clauē
Panditur, hæc titulis ianua monstrat iter.
Quam quisquis fuerit virtutis amore secutus,
Herberstainiadum iure beandus erit.

FINIS.

**Petrus Paganus
Poeta Laureatus.**





